TUBA EVANGELICA
EXERCITIA

Ex commissione Emmi Cardinalis Archiepiscopi toletani Comitis de Theba, aliorumque Antistitum in Regnis Aragoniæ, et Valentiæ iussu ad Ecclesiasticos habita,

Quibus Dei gratia uberrimos novæ conversationis fructus in Clero peperit.

Auctore, et Prædicatore

FRANCISCO ALBA

Presbytero quondam in Hispaniarum Regnis Missionario

Hispanica lingua prædicavit; sed ut universo Clero hæc Exercitia prodesse queant, latino idiomate hoc opus ipse composuit.

Superiorum Facultate
Anno Domini 1778.

EVULGATOR
AD LECTOREM.

Auctor hujus operis anno 1770. nonnulla manuscripta mittenda curavit ad me in Galliæ Provinciam, ut ea imprimerem. Novissime autem misit ad me hunc librum Exercitiorum, necnon & alium cui titulus: *Scientia animæ*. De tribus operantibus in anima Deo scilicet, diabolo, & natura, liquido demonstrans quando, & quomodo operetur Deus in nobis, quando, & quomodo diabolus, quando, & quomodo natura, tam in via ordinaria spiritus, quam extraordinaria ita ut sine ulla illusione omnis interna operatio innotescat. Hos duos libros usque modo non potui imprimere propter gravia infortunia, quæ domus mea passa est. Nunc vero cum docti viri, quibus hos libros tradidi, dixerint mihi esse utilissimos, & necessarios in Ecclesia, do operam impressioni. Accipe ergo hunc primum, & dabo operam, ut quamprimum habeas mysticum. Vale.

DOMINO MEO
JESU CHRISTO
ET HUIC CRUCIFIXO.

QUid, o mi JESU *dulcissime, tibi retribuam pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Subsecuta est me misericordia tua omnibus diebus vitæ*

meæ. Quas ergo reddam vices? In me quid bonum non habitat, ut tui dignum quid promere possim: inops enim, & pauper sum ego innumeris involutus ærumnis, & homo natus de muliere repletus multis miseriis. Absit a me hæc nequam spiritus efferata præsumptio, ut ex me quasi ex me quid bonum tibi offerre cogitem. Si quid hoc in volumine bonum, a te est tamquam a fonte, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum: non a me, qui natura fui filius iræ, sicut & cæteri. Accipe ergo quod tuum est, atque propter ipsius cultum virtutis ne, precor, respicias miseram conditionem tua tibi humiliter offerentis. Ignosce, o bone Jesu, *præsumptioni meæ, quia, cum sim peccator a vulva, loquor de justitia. Quid scit, aut quem potest de justitia movere sermonem, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Sed quia optime novi Te numquam confundere peccatores in te humiliter confidentes, atque tibi admodum displicere timidos, & pusillanimes, in tuo sancto nomine roboratus fiducia*

loquar, quæ intus in corde documenta dictasti pro tua gloria. Tu scis, Domine, quoniam non novi literaturam, neque anima mea aliam præter te solum habuit scientiam. Academicos non audivi. Eruditos non colui, sed te solum in Crucis Cathedra Magistrum habui. Igitur quidquid hoc in volumine bonum est, tu mihi in corde posuisti, & scribo: atque idipsum in simplicitate cordis mei consecrat anima mea Nomini Sancto tuo. Accipe, quæso: & ne dedigneris sinceram suscipere voluntatem miseri peccatoris, quam reverenter offert puer iste tuus in obsequium debitæ servitutis.

EPI-

EPISTOLA

Ad TAUROLENSEM, & DERTUSANUM CLERUM.

FRanciſcus omnium minimus volentibus in Chriſto pie vivere Fratribus ſalutem. Vos ſcitis a prima die, qua de Reverendiſſimorum Epiſcoporum mandato optatæ ſolitudinis quietem reliqui, & hæc Exercitia vobis prædicaturus adveni, quanto amore & ſtudio contenderim, quanto ſudore laboraverim, ut ſicut decet, & præcipue exigitur a Dignitate, ſtabiliretur in Clero novitas vitæ. Per id tempus ſpirante turbine de lateribus Aquilonis loquentem pacifica projecit ventus in altitudinem maris, atque arguentem in porta deglutivit, ut Jonam, cete marina beſtia. Sed quia de vobis ſolicitus, adhuc propter veſtram ſalutem, in quantum fas eſt, non recuſo laborem. Unde amore veſtri hunc Librum Domino adſpirante compoſui. Et

quia

quia omnibus debitor ſum, latino idiomate illum conflavi, ut omnibus prodeſſe poſſit. Conatus eo tendit, ut quieſcant, qui male agunt, agere perverſe, & convertamus gyrum indomitæ libertatis ad modum debitæ converſationis, ut ſi forte humiliantes animas noſtras habeamus acceſſum, & amoveat a nobis Dominus plagas ſuas. Etenim propter peccata noſtra dura invenerunt nos multa mala. Optime noſtis, quæ, & quanta ſuſtineamus: & nos Altaris Miniſtri cauſa ſumus. Idcirco hunc Librum compoſui, ut in nos reverſi per lamenta veniamus ad viam ſalutis, & quieſcat deſuper ira percutientis. Accipite ergo bonum, quod accepi a Domino, ut ſitis ſancti, ſicut decet Miniſtros Chriſti. Rogo vos in Domino, ut, cum ad Altare ſteteritis, hujus miſeri peccatoris memoriam faciatis. In Chriſto valete.

Hic Liber revisus est, approbatus, & laudatus a Reverendissimo M. Theologo Pœnitentiario SS. P. N. Pii VI. ut patet ex Censur. dat. mense Octob. anno 1777.

EXERCITIORUM

NORMA PRÆFIGITUR.

ET si divina gratia utpote principalis operatrix, ipsa est, quæ his in Exercitiis opimos retulit fructus, mirandasque fecit dexteræ Excelsi mutationes, tamen loci opportunitas, rerum dispositio, & horarum distributio admodum juvit, & plurimum profuit. Electus est ergo Sanctuarii locus in solitudine ab omni hominum perturbartione sequestratus, qui centum vel octoginta saltem Sacerdotes capere posset, ubi per novem dies omninò clausi, singuli singulis cubiculis attributi, unusquisque sedebat solitarius sine confabulatione alterius. Prima & præcipua observantia silentii custodia erat ita, ut nemo non solum salutationis verbum dicere præsumeret, sed neque pedum calceamenta per terram traheret. Unde ad profundum silentium tenendum constitutum est, ut, cum quid causæ rationalis egredi de cubiculo Sacerdotem compulisset tacitis plantis per claustra incederet. Hoc silentium si quis violabat, monitione præmissa ad alios novem Exercitiorum dies cum venturis Ecclesiasticis sustinendos ab Episcopo cogebatur. Commendabatur debito cum rigore silentii custodia, quia, ubi silentium non est,

relaxatio potius, quam cordis ædificatio ſperanda eſt. Non æſtimet homo ille, qui ſilentium non ſervat, quod in via ſpiritus quid proficiat: nam ſicut per Iſaiam dicitur: *in ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra: & alibi: opus juſtitiæ pax: cultus juſtitiæ ſilentium*. Cor enim per os, dum loquitur, facile diſſipatur, & animi robur amittitur.. Quare habitâ ſeria præmonitione, & accedente Epiſcopi auctoritate ſilentium eo exacté obſervatum eſt, ut cum in loco illo tot commorarentur Sacerdotes, vix ullus ibi habitare videretur.

Prima Exercitiorum die convenientibus cunctis, qui de Epiſcopi mandato vocati erant, in ipſo noctis acceſſu ad campanulæ ſonitum incipiebat Exercitium, & quidem in hunc modum: deſcendentibus in Eccleſiam, atque in medio ejus hinc inde ordinate ante Altare genuflexis, Prædicator in medio eorum itidem genuflexus incipiebat hymnum *Veni, Creator Spiritus*, quo alternatim dicto cum verſu, & oratione *Deus, qui corda fidelium*, per dimidiam horam orationem faciebat cunctis audientibus non ceſſans loqui adverſus ſemetipſum in conſpectu Dei. Hujuſmodi orationem bis faciebat in die, & quia in affectibus tota conſiſtit, ex ea miros effectus experientia docuit. Finita oratione, quæ, ut dixi, per mediam horam fiebat, & ad campanulæ ſonitum terminatâ, unusquiſque in cubiculum ſuum ſe recipiebat habitam orationem conferens in corde

ſuo

ſuo. Deinde collato ſigno deſcendebant omnes in Refectorium. Sumpto alimento, quod ſemper opportuna lectio commitabatur, conveniebant omnes per ordinem dicentes pſalmum ad Eccleſiam, ubi *Salve Regina* cum oratione cantantes gratias terminabant. His expletis media ad animi explicamentum hora concedebatur, in qua ſummiſſà voce confabulantes eam recreationem ad invicem accipiebant, quæ non ſolum ſenſibiliter mulceret, ſed etiam ſpiritualiter ædificaret, deponere juſſi ritus exaltationem, ſtultiloquium, & ſcurrilitatem memores illius B. P. Ambroſii: *verbum Sacerdotis, aut eſt verum, aut ſacrilegum:* ex his duobus unum. Mediâ horâ completâ ad campanulæ ſonitum ad priſtinum revertebantur ſilentium: atque unuſquiſque in ſuum ſe recipiens cubiculum quieti uſque ad prœfinitum tempus vacabat.

Ad ortum ſurgentis auroræ Prædicator per clauſtra jaculatoria carmina intonans a ſomno dormientes excitabat, ut ſe parerent ad orationem. Non multo poſt dato ſigno conveniebant ad Eccleſiam ad integram orationis horam, quâ expletâ uſque ad horam diei ſeptimam ſibi ad invicem miniſtrantes celebrabant. Hora ſeptima Prædicator orationem faciebat, ut ſupra: quâ peractâ ii, qui non celebraverunt, ſacrum faciebant: qui vero Sacrum jam fecerant, ſpirituali lectioni in cubiculo operam dabant. Peracta Miſſarum celebratione ad campanulæ ſignum omnes in Eccleſiam

 deſcen-

descendebant, ubi Prædicator mediam orationis horam faciebat ut supra dictum est. Post orationem recitabantur horæ minores: quibus finitis ad campanulæ sonitum conveniebant ad prandium. Post prandium, & mediam honestæ confabulationis horam unusquisque in cubiculo suo quieti & silentio vacabat. Hora secunda post meridiem ad campanulæ sonitum evigilantes ad Ecclesiam conveniebant, ubi Vesperas, & Completorium recitabant. Post Completorium Rosarium. Post Rosarium iterum revertebantur in cubiculum mediam insumentes horam in examinando conscientiam. Deinde collato signo ad Ecclesiam covenientes Matutinum cum laudibus recitabant: quibus persolutis in cubiculum secedebant. Post modicum temporis horâ quinta descendebant in Ecclesiam ad audiendum sermonem, in quo Prædicator horam cum dimidia, vel circiter duas horas insumere solebat. Audito sermone unusquisque in cubiculum suum se recipiebat, audita ruminans. Hora septima in Ecclesiam properantes unum ex Presbyteris spiritualem librum per mediam horam legentem audiebant: atque statim post lectionem mentalis per mediam horam fiebat oratio, unusquisque prout ei dictabat Spiritus Domini. Expleta oratione accedebant ad Cœnaculum, atque omnibus sicut in præcedente nocte peractis, exercitii dies implebatur ita, ut per totum Novenarium nihil temporis fuerit otiosum, sed totum tempus spiritualiter occupa-

cupatum, a nullo ſæculi implicamento, nulla epiſtolarum viciſſitudine impeditum. Tribus diebus in Novenario ſervabatur jejunium, & corporis flagellatio in nocte habebatur.

Quantum hæc exercitia operante divina gratia contulerint, haud facile dici poteſt. Quot converſiones, quot vitæ novitates nemo ad exprimendum ſuſſiciet. Finito exercitiorum Novenario, tranſactiſque ſeptem, vel octo diebus ab Epiſcopo, qui præſens eſſe ſolebat, ad Prædicatoris levamen conſtitutis, ad aliud Novenarium conveniebant totidem Sacerdotes, donec omnes diœceſani Eccleſiaſtici hæc Exercitia ſuſtinuiſſent.

PRIMA DIE

IN NOCTE.

Oratio a Prædicatore habita in medio Presbyterorum.

QUa fronte Omnipotentem, qui Cœlorum continet altitudinem, qui lucem inhabitat inaccessibilem, ad cujus intuitum abyssi profunda commoventur, & Cœlorum cardines concutiuntur, ego omnium vilissima creatura, cui nulla est æquitas, & omnis dominatur iniquitas, adire præsumo, & non potius super faciem corruo præ timore, præ tremore, præ verecundia indutus sicut diploide confusione mea? Quomodo non toto corpore, & animo contremisco ante faciem Dei, cum etiam ante tremendam illam Altissimi Majestatem tremente curventur genu, qui portant orbem, & duabus alis faciem velantia adorent Cherubim quoque ac Seraphim viventem in sæcula? Quomodo non expavesco, cum illi trementes adorent, qui omnino nescierunt peccati legem, & ego tremulus non adoro, qui bibo quasi aquam iniquitatem? O me millies miserum, dum coram Omnipotente adhuc inflexa cervice ausus sum oculos in Cœlum levare, & non potius sedere in pulvere accinctus sacco, & caput consper-

ſperſus cinere. Ne mihi, quæſo, Domine, temeritati attribuas, neque contra me iraſcaris, dum rediens ad cor proſternor retro ſecus pedes tuos, & converto adverſum me ſermones meos. Si, quia ſuavis es univerſis, complacuiſti ſuſtinere peccantem, noli a facie tua proiicere pœnitentem. Dimitte me ut plangam paululum dolorem meum ſecus pedes tuos; antequam contenebreſcat, & offendant pedes mei ad montes caliginoſos. Si tu me repellis, quo ibo, ad quem confugiam? O! retrahit me a facie tua verecundia mea, & vultu rubore ſuffuſo precandi non habet audaciam, qui quondam non erubuit tuam irritare juſtitiam. Terrent me funeſtæ imagines peccatorum: conturbant me torrentes iniquitatum, & conſtringit cor meum timor ab ira tua, quia peccavi nimis in vita mea. Contremiſcente corde præ iniquitatum multitudine tanquam undoſis abyſſi vorticibus immerſum me reputo, & non alium me exiſtimo, dum reſpiro communem aerem, niſi ficulneam arentem juſta viam deſtinatam ad ignem, ſeu lignum minans caſum ad aquilonem. Idcirco tenent me anguſtiæ in conflictu amaritudinis, & poſſident me dolores ſicut dolores parturientis. Quid mihi ſupereſt (heu me miſerum!) niſi illius infauſta ſors qui proiiciens poſt tergum ſuum ſermones tuos ſolummodo peccare didicit, & bonum facere penitus ignoravit? Væ mihi! ambulavi vias difficiles: laſſatus ſum a via iniquitatis: aberravi a ſemita rectitudinis in circuitu ſicut impii, ambulans

per

per anfractum miseræ perditionis. Effusa per sensus, raptata per motus, dissoluta per appetitus erravit anima mea, tanquam filia vaga: dumque distentus per sæculi voluptates, & corruptæ carnis delicias studui pascere concupiscentias, heu! cisternas mihi feci, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Inhærens insensatorum more prætereunti sæculo, mundum commutavi pro Paradiso, atque errans tanquam transgressor ex utero pepigi fœdus cum morte, & pactum cum inferno. Odivi disciplinam, repuli scientiam, sectatus sum suspirioso anhelitu delirantis mundi figuram, atque prima futilium rerum specie delusus non aliter vitam traxi, ac si tuum Evangelium esset aliqua fabula poetarum vel simplex narratiuncula, quod promittitur in futurum: Conversatus sum, quandiu vixi, non aliter ac si in me non esset illa activæ indifferentiæ libertas, quo naturæ privilegio congaudet omnis anima rationalis, sed sola inferioris portionis innata concupiscentia sequens per omnia sine legis camo, sine rationis frœno animales motus, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Unde cum irritationabiles malesuadæ carnis illecebras sim sequutus, atque exlegem vitam traduxerim cum Christianæ professionis injuria, cum rationis contumelia, interiorisque domus deploranda ruina, merito dicendus homo non sum, sed potius bestia, vel homo phantasma. O me nimium infelicem! ne irascaris, Domine, si loquar coram te, cum sim pars lu-

ti peſſima, indignus hujus Solis gratiâ, & merito dignus, qui caream ſepulturâ. Dimitte me, ut confitear adverſum me injuſtitiam meam tibi: ſi forſitan motus miſericordia remittas propter gloriam Nominis tui impietatem peccati mei. Ecce, Domine, quem de limo terræ formaſti: ecce quem pretioſo ſanguine redemiſti, amiſſâ pietatis formâ, laxatâque Chriſtiani pudoris habenâ contra te, cui debet incarnationis, & paſſionis exceſſus, recalcitravit ingratus: atque eo tempore graviores multiplicavit offenſas, quo a te ſuſceperat copioſiores miſericordias. Idcirco tota die verecundia mea contra me eſt, quia filii Dei ſimilitudinem perdidi, cum concupiſcentiarum voragine conſepultus fræna laxavi, & adinſtar impii juſtitiæ viam peroſi, facies peccatorum ſumpſi. Quid faciam, miſer? quoniam contenebratum eſt cor meum & omnino a me receſſit lumen oculorum; quâ invaleſcente miſeriâ non video vel mala, quæ tolero, vel bona, quæ perdo. Quid faciam, quoniam infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, vel poteſtas reſurgendi? Heî mihi! relicta eſt mens mea denſo paſſionum fumo obſcurata, tenebroſo concupiſcentiarum turbine confuſa ita, ut fœdata rationalis compoſiti pulchritudine, totaque interioris mei ablata compoſitione depoſita ſit vehementer anima mea a facie iniquitatis quaſi in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis. Effecta eſt interior domus mea quam decet ſanctitudo, quaſi ſpelunca hyænæ in deſerto: in ea enim converſâ rationali maſ-
ſâ

ſâ inverſâ judicandi formâ, perverſâ acrius a peccandi conſuetudine carnis potentiâ, mordaciuſque inſtigatâ naturâ factum eſt cor meum patens ſepulchrum, quod umbra funeſtæ mortis miſerabiliter occupat, & tetricæ confuſionis barathrum, ubi nullus ordo, ſed inextricabilis horror inhabitat. Heu! heu! quis dabit capiti meo aquam, & plorabo die ac nocte recogitans pro peccato recluſus in caverna terræ quaſi nycticorax in domicilio! Vitam meam, quæ reſidua eſt, agerem in doloribus, & annos meos in gemitibus, atque fugiens hominum conturbationes in vaſta eremo requieſcerem adinſtar Regum, & Conſulum terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines. O quis mihi tribuat auditorem, & deſiderium meum audiat Omnipotens! Peccavi Domine, peccavi in Cœlum, & coram te: dignus quidem pro merito, ut aures obtures huic miſero, & opponas nubem tibi, ne tranſeat oratio. Dignum quippe eſt ut, qui te toties noluit audire vocantem, dorſum, & non faciem oſtendas ei ingrati renuens audire clamorem. Ego ego, ipſe ſum, qui recedes a patre, atque privatæ innixus prudentiæ rationalis ſubſtantiæ portionem diſſipavi cum meritricibus, dum ultro confundens turbulento paſſionum tumultu rationales potentias ſine timore futuri reſpexi in vanitates, & inſanias falſas. Ego ipſe ſum, qui in longinquam carnis, & ſanguinis regionem a totius Bonitatis centro profectus, pavi porcos, dum complevi admodum turpiter appetitus ſequens opeicſo

roſo cordis hiatu irrequietæ carnis impulſus. Cumque totum me tibi, ſicut totum te mihi tradere addictius deberem ob ſublimem Miniſterii rationem, & tanti dignitatem officii, cum in honore eſſem, non intellexi, ſed inſipientium jumentorum naturam referens deterior evaſi. Clamo ad te, Domine: ſuſpiro in Cœlum deducens ab oculis flumina lacrymarum, ſi forte ſit ſpes inveniendi miſericordiæ ſolatium, qui mittit in ſidera vivo cum dolore lamentum....

Predicator ad campanulæ ſignum ſtatim ceſſavit ab oratione.

DIE SECUNDA

Oratio prima in mane.

HEi mihi, Domine! quia tribulatio, & anguſtia invenerunt me. Amiſſo clavo, contrario vento, ſine ſidere, ſine velis veni in altitudinem maris. Demerſit me afflictionum oceanus: & circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus! Propterea impleti ſunt lumbi mei dolore, & anguſtia poſſidet me ſicut anguſtia parturientis. In peccatorum cœnum prolapſus vitam traho difficilem imitans in præruptis ovem errantem, atque ſub noctis horrore palpans ſicut cœci parietem. Tentatus a propria con-

concupiſcentia effuſus ſum ſicut aqua, atque divinæ Legis excuſſo jugo mancipari complacuit infami carnis ſervitio. Idcirco prohibiti ſunt Cœli, ne pluant ſuper terram, & ecce facta eſt anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. O quis mihi tribuat tacitos habitare ſeceſſus, ubi ab omni prorſus conturbatione ſemotus inceſſantes in Cœlum mitterem voces, gemitus, ſuſpiria, ſingultus, donec audirem a te, cujus voluntas privari non poteſt ingenitâ miſericordiâ: dimiſſa ſunt tibi peccata multa! Quis det, ut, quod expecto tribuat mihi Deus! Timor mortis conturbat me, quoniam in profundum me deprimunt torrentes iniquitatum, quæ numerum ſuperantes ſupergreſſæ ſunt caput meum, & nulla eſt ſanitas in carne mea, nec pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum. Innumeris ab infantia jacens ſordibus involutus per omnia complevi indomitos propriæ voluntatis affectus, atque factus quaſi columba ſeducta non habens cor abii, poſt mundialium rerum ſpecies utpote qui paſcit ventos, & ſequitur aves volantes. Deſipui, Domine, deſipui: inſipienter egi, dum temulentus a vino de calice Babylonis repuli obſequim debitæ ſervitutis, & converſatus ſum toto affectu in medio domus Magnæ Meretricis. Te provocantem me, ſicut aquila pullos ſuos, audire contemnens obfirmavi vultum meum adiiciens ad peccandum: neque a cordis mei mali pravitate deſtiti, donec de abyſſo, in abyſſum feſtino pede deſcendens ve-

nerim in profundum. Fornicata cum amatoribus multis anima mea instabilis facta est aberrans in invio, & non in via per montes superbiae, per valles avaritiae, per prata luxuriae, & non est recordata finis sui. O me miserum! odio prosequens justitiae semitam ambulavi per viam non bonam: cumque effuderim animum per carnis desideria, & saeculi voluptates, factus sum in hac die super faciem terrae, sicut qui descendens de Jerico incidit in latrones. Neque ita malum vulnera accepisse, ac vulnerum dolorem non sentire: nam qui sentit doloris puncturam, ipse dolor compellit eum quaerere medicinam: qui vero omnino caret doloris stimulo, non curat solicitus vivere de remedio. Sic ego (hei mihi!) inordinatos affectus quos admisi, animae meae hostes ignoravi, quia a passionum caligine judicandi conversâ formâ arbitratus sum amatores, & hostes esse nescivi; idcirco inflicta vulnera non sensi. Nunc autem cum annos meos tibi recogito, & sedens in pulvere cogito pro peccato meo, video, quod per omnes juncturas a planta pedis usque ad verticem capitis non sit in corde meo sanitas, sed ossium putredo, vulnus & livor, & plaga tumens, quae neque est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Neque spes mihi ulla est praeter miserrimae mortis aerumnam, nisi forsitan misericordiâ motus ille Samaritanus vino lavet, oleo urgat, & vulnera ligare complaceat. Laetatus sum usque modo de semita iniqui-

quitatis, & exultavi, ficut impius, in rebus peſſimis: nunc autem ſubeunte triſtiſſimâ peccatorum imagine militant contra me ſuſpirioſi conſcientiæ terrores de offenſa juſtitia, & formido, & pavor de morte ſecunda: quapropter anima mea turbata eſt valde, & cor meum conturbatum eſt intra me. O quale judicium! Judicabit in æquitate, & juſtitiâ, qui intuetur abyſſi profunda, & ſcrutatur renes, & corda. Judicabitur homo, qui iniquitatem ſecum portavit ab utero. Quod ſi Angeli prævaricantes inventi ſunt animo revolventes cogitationes iniquas, quanto magis hi, qui habitant domos luteas? Propterea anxiatum eſt cor meum, & oſſa mea pavore contremiſcunt. Igitur ſi unuſquiſque ſecundum opera ſua judicandus, quæ eſt expectatio mea in futurum, cum opera mea mala exuperent maris arenas, quæ præ multitudine numerari non poſſunt? Quid ſi opera mea interroges, formidare non debeo, cum juſtus te interrogante non poterit reſpondere unum pro mille? Hei mihi! ſi ficulnea, quia ficus non habebat, maledicta eſt a Domino, & continuo aruit, quid agendum de ficulnea, quæ fructum bonum facere neſcivit, imo quæ in circulo temporum protulit ficus malas, malas valde, quæ comedi non poſſunt? Væ mihi! ego ego illa infructuoſa ficulnea ſine virore pietatis, ſine fructu operis, ſine affectu virtutis, & ſine ſucco devotionis. Arbor ſolitaria plantata in terra deſerta, invia, & ina-

quosa. In terra deserta, quia recedente gratia propter peccata mea dura, & occupante cor meum passionum diluvio relictus sum tanquam lignum aridum in eremo, dejecto animo erga spiritualia, irrequieto cordis pruritu erga terrena: mundana enim, & carnalia me rapiunt; cœlestia in fastidio sunt. Vigor, & fervor in ambiendo gloriam filiæ miseræ Babylonis: tepor, & torpor ad opera charitatis. Ad sæculi vanitates festinus accurro, sicut equus impetu vadens ad prœlium: ad ea autem, quæ Dei sunt, ac si traherer ad supplicium. Displicet mihi silentium; placet stultiloquium. Cubiculum desero ab oratione removens animum; & quietis impatiens quæro tumultum. Odio prosequor ibi esse, ubi tristitia est. Sed ibi esse desiderat anima mea, ubi tuba, & tibia, cythara, & lyra, voces, & organa. In somnis mihi solicitudo erga ea, quæ transeunt tanquam nubes ventis validis agitata. Segnis incuria erga ea, quæ nobis promittuntur in Cœlis post statuta tempora. Unde factum est cor meum in fastidio contabescens, indocile, insensibile, volubile, sine halitu charitatis, sine affectu virtutis incerto gyro ambulans in terra invia via perditionis, via inaquosa sine lacrymarum salutari pluvia, terra arida non habente irriguum superius, neque irriguum inferius, cor vanum, cor durum, cor lapideum. Heu heu! si, quemadmodum scriptum est, cor durum habebit male in novissimo, quid timere non

non debeo, qui non cor, ſed pro corde ſilicem habeo! Idcirco quia præteriri non poſſunt, quæ ſcripta leguntur, & venit hora, ut qui in monumentis ſunt, rurſus circumdati pelle reſurgant in ictu oculi, in noviſſima tuba, totum me tremor occupat de terribili aſpectu diſtricti judicis, & extimeſco, ne forſitan ſortem ſortiar ſuperventuræ calamitatis. Hodie quia caligante intellectus oculo a denſo paſſionum fumo futura non video, comedo, dormio, exulto atque in Fortis armati pace conquieſco. Sed o! quid cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit? quid, cum me inexorabiliter occupet funeſtæ mortis hora tremenda, & ſuper me compleatur rerum ultima linea? Quæ patiantur, qui moriuntur, neſcio, quia nullus remanſit, ut referat, neque mihi narravit aliquis de ſepulchro. Hoc ſolummodo ſcio ab ipſa edoctus natura, quoniam juſta eſt dies mortis, & adeſſe feſtinant tempora. Terribilia dicta ſunt de mortis hora formidanda. Sed o quantum differt notitia ab experientia! Idcirco mortis agonem numquam, ſicut oportuit, formidavi: quia mortis periculum numquam feci: tantummodo ſola mortis vexatio intellectum dabit auditui. Igitur vociferabor ad te, Domine, qui amas animas; laborabo in gemitu meo: de medio petrarum dabo voces: neque die, ac nocte ceſſabo a clamore, & a flumine lacrymarum, donec raucæ fiant fauces meæ, & attenuentur oculi mei:

 ſuſpi-

ſuſpicientes in excelſum. Ne me perdas illa die, Domine, neque occupet inopem, & compunctum corde dies illa magna, & amara valde. Protegat me tuæ potentia virtutis ab umbra mortis, & a facie tempeſtatis.

Oratio ſecunda ante meridiem.

EXi a me, Domine, quia homo peccator ſum. Quæ pars luci ad tenebras? Tu candor æternæ lucis: ego autem nigredo carbonis. Tu eſſentialiter mundus: ego naturaliter ſordidus. Tu Bonitas: ego iniquitas. Tu Veritas: ego vanitas. Tu Claritas: ego obſcuritas. Igitur exi a me, Domine. Quod ſi exire nolueris, quia tibi naturale eſt facere miſericordiam, pronus corruam in faciem meam non auſus reſpicere in Majeſtatem tuam; indignus quippe eſt, ut divinæ Lucis conſpectui præſentetur, qui in tenebris, & in umbra mortis commoratur. Corruo præ verecundiâ, atque ad hanc rem ſtupeſco mirabilem quomodo talem, ac tantum ſuper ſe ſuſtineat terra peccatorem. Ego, ego, Domine, qui fregi jugum, qui rupi vincula, qui ſolvi fœdera, qui currere renui viam mandatorum tuorum, & effudi cor meum per vias iniquitatum. Juravi, & ſtatui in baptiſmo renunciare Satanæ, & omnibus operibus ejus, conſepultum cum Chriſto vivere, & cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Sed hei mihi miſero, quia mentitus ſum tibi in corde meo! nondum enim in me vige-

vigebat proxima rationis potentia, & jam jam in occursu carnalium voluptaptum dereliqui mandata tua. Si videbam superbum, currebam cum eo volens cunctis in fastu, & pompâ præcedere, atque in tumore spiritus superare: cumque sim pulvis, & cinis, putredo, & vermis, ipsa nullitas, & universa vanitas, de conspicuo genere respiro superbiam, de ingenio jactantiam, & de nihilo vanam gloriam. Quæro honoris locum ultra meritum: ambio Præfecturas, & Dignitates ultra propriæ facultatis vires ad omnia idoneum me reputans & cæteros inhabiles, indignos, atque inutiles arbitrans, contendo cum pertinacia, atque non sine proximi injuria pugno pro mei cerebri defensanda sententia, volens, ut ab omnibus retineatur tanquam axioma, & sola prævaleat super septem Sapientum dicta. Ab omnibus volo laudari, atque aliorum præconiis in sidera ferri. Quod si os alienum me non extollat laudis eloquio, meipsum laudibus effero. Si quis mecum agat, quo vel parum lædatur propria excellentia, statim cor tumens rapitur iracundiâ: levem enim contemptum æquo animo tolerare non possum. O me infelicem! superbum vidi, & pari via simul cum superbo cucurri. Si quidem simili modo, si detrahentem audiebam detrahebam cum eo. Sedens adversus fratrem, sicut serpens in silentio, mordebam in occulto: cumque injungerer iis, quos captivat otiositas, & in unum
con-

congregat ipſa ipſorum perverſitas, ut loquantur injuſtitias, nulli pepercit linguæ meæ viperina mordacitas. Egrediens namque quaſi leo de ſpelunca ſua circumcurſabam vias, vicos, & plateas, ut fratrum defectus audirem, & aliorum vitia conſiderarem. Factus ſcrutator actionum Civitatis compita circuibam, atque penetrans domos, & ad ea, quæ geruntur, habens mentem intentam omnes hominum greſſus dinumerabam. Canina ſciendi fame correptus in omnibus populi conventiculis frequens eram, ubi, ſicut novacula acuta, fraternæ dilectionis fœdera diſſipans proximorum vitia, lapſus, vel defectus, quos videram, vel audieram, ſine prudentiæ camo, atque ſine modeſtiæ frœno narrabam. Defectus autem addere, vel ſupponere familiare fuit. Detrahentis amore proximo, cujus geſta prorſus ignorabam, mordaciter detrahebam: atque ne amico, vel diviti detrahenti diſplicerem, vel geſtu, vel riſu, vel annuens oculis murmurabam. Quis tutus a lingua mea? Malis detraxi, quia mali: & bonos itidem linguâ momordi, quia boni: nam, cum in his nihil mali potuerit meus nequam oculus invenire, curabam ſaltem honeſtas eorum actiones in pravum convertere. O me miſerum! quot, & quanta mala intulit in medio chriſtianæ plebis hujus mordax lingua peccatoris! Læſi proximi famam, obſcuravi opinionem honeſtam, amicitias diſſolvi, diſcordias diſſeminavi, animos ad odium, malas voluntates, & ri-
xas

xas accendi, quid plura? homo peſtilens lingua fratrum turbans unionem, & diſſipans Civitatem. Et utinam mala, quæ perpetravi, in ſuperbia, & detractione finem haberent, & ultra non venirent! Sed hei mihi! quia non ſolum cum ſuperbo ſuperbus, cum vano vanus, & cum linguoſo linguoſus, ſed etiam cum immundo immundus ſequutus ſum corruptæ carnis affectus. Libidinoſo oculo, & inſatiabili inhiabam videre fœminas circumornatas ut ſimilitudo Templi, equarum viſu calore concepto, irrequietus æſtuabam pro conſumando peccato. Inde quot turpia, quot amatoria carmina, quot equivoca verba? Tu ſcis, Domine, qui intueris abyſſi profunda, quantas habeam iniquitates, quanta ſcelera, & peccata. Sed quod magis cor meum dolore contorquet, non eſt animum luxuriâ fœdaſſe, ſed aperuiſſe in re libidinis oculos innocentis, & docuiſſe multos in via perditionis. Væ mihi! quid expedit, niſi ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo meo, & demergar in profundum maris? Quæ pœna ei, qui non ſolum animam ſuam demerſit in profundum, ſed etiam ſcandalo perdidit animam cæterorum! Propterea cor meum comprimitur in anguſtia, atque timore orribili concutitur anima mea. In cunctis deliqui: in cunctis offendi: ſi quid boni feci, intentione, vel modo corrupi. Quid ergo fiet in noviſſimo de hoc nequam ſervo, qui prorſus eſt meritis deſtitutus, & peccatis oneratus? Quid me manet (o miſer!)

poſt

post tanta, & tam multa crimina? vel Dei misericordia, vel ignis æterni pœna. Absit hæc a me, Domine; absit, ut opus manuum tuarum despicias in æternum: quia non poterit anima mea confiteri in tenebris mirabilia tua, si descenderit in abyssum. O Domine, ne me, precor, fluvius absorbeat iræ furoris tui. Si parvam ignis scintillam ad momentum sustinere non possum, quin subito exiliam ab igne cutim comburente, quomodo sine fine totus habitare potero cum igne devorante? Si justa rogum diu manere nequeo ob exuberantiam caloris, quomodo sustinere potero, si (quod absit) involvi contingat cum ardoribus sempiternis? Insanio, & temeritatis fræneticâ passione laboro, dum ita enerviter vivo ac si futura inventa forent a proprio cerebro, vel nebulonum ficta mendacio. Quotid e corruo: incessanter pecco: sed neque de lapsu resurgo, neque de culpa pœniteo: imo potius neglecto pœnitentiæ tempore thesaurizo mihi iram in die iræ tuæ. Quid faciam, heu miser! quid faciam? Undique me torrentes sine cessatione conturbant. Si in Cœlum aspiciam te judicem video dicentem: non exies inde, usque dum reddas novissimum quadrantem. Si sub pedibus, video quoniam urget super me puteus os suum, ut forte vivum deglutiat in profundum, & similis efficiar descendentibus in lacum. Si ad dexteram, si ad lævam aspiciam, accusatores video a latere meo mille, & decem millia a dextris meis dicen-

dicentes: euge, euge: viderunt oculi nostri. Devorabimus. Si post tergum, a peccatis impulſus everſus ſum, ut cadam in irreparabilis miſeriæ foveam, in inferni ſepulchrum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror, vermis, qui non moritur, ignis qui non eſtinguitur, & fletus, & ſtridor dentium. Si ante faciem aſpiciam, perurgentem video funeſtæ mortis horam tremendam, & aperientem, ut me devoret, ſua viſcera ſepulturam. O me miſerum! undique tenent me anguſtiæ. Coarctor a timore valido, & quo me vertam, penitus ignoro. Propterea dum curſum peragit rota nativitatis, in via bibo de torrente amaritudinis, atque diebus, quibus nunc milito, manduco panem doloris. Recedant omnes a me: omnes me ſolum relinquant: nec ullus ſit, qui me conſoletur ſuper terram. In tacita domus latibula penetrabo, & ibi quandiu vixero, ad pedes tuos amare flebo. A planctu non quieſcam, a gemitu non deſiſtam. Eſpugnabo lacrymis Cœlum, atque donec veniat ſuper me tua miſericordia, ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba. Non dimittam te, Domine: etiam ſi occideris me ſperabo in te: quia ſi apud me innumera criminum multitudo, tamen apud te eſt miſericordia, & copioſa apud te redemptio.

SER-

SERMO I.

Hora quinta in vespere.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.
Joann. c. 15. v. 16.

IGnoscite mihi, dilectissimi Fratres, ignoscite mihi: arrogantis animi, praesumptio esse videtur, cum sim quidem moralis ignorantiae abyssus multa, velle per os meum Dei assumere testimonia. Quis sum ego, aut cujus scientiae, aut virtutis, ut ad erudiendos Doctores ascendam cathedram veritatis? Puer, qui neque novi literaturam, neque didici, sicut oportet, scientiam. Elati cordis audacia profesto est scientiam non habere, & magisterii locum assumere. Sed audaciam assumentis excusat auctoritas imperantis. Vere etenim, si daretur optio, libentius solitudinem repetens quiescerem in tugurio factus quasi passer solitarius in tecto: & haec esset occupatio miseri peccatoris exequi vacans lacrymis opera poenitentis. Potius inquam, sederem solitarius, & tacerem, atque in silentio, & spe portionem meam ponerem, quam vellem tumultus repetere populorum, ubi interioris atrium difficile custoditur, & cor a figura, quae in mundo geritur facile rapitur. Elongare fugiens potius eligerem, quam iterum sustinere delyrantis saeculi confusionem. Sed quia ex obe-

obedientia loquár, loquar ex animo offerens obedientiæ victimam Domino. Aperiam os meum non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, non in altisonantium vocum patula pompa, sed in virtute sinceri sermonis, & spiritu veritatis. Igitur loquar in nomine Domini.

Nihil est, quod magis me terreat, Fratres charissimi, nihil, quod magis cordi meo incutiat formidinem, quam de digno ad tam sublimem, tamque divinam Dignitatem accessu habere sermonem. Est quidem Sacerdotalis dignitas mons terribilis, cujus fastigium propter fumum inde egredientem nostrorum oculorum superat facultatem. Unde hac de re tractatum texere velle præsumptio est. Igitur dicere sufficiat, quod sacerdotes intrinsecâ ratione Dignitatis montes dicantur in Scripturis. Dii nihilominus, non homines, appellantur, quia absolvendi potestate, quæ solius Dei est, & potestas dicitur Excellentiæ, participativè funguntur. Etiam vocantur Angeli ratione officii: eos siquidem Sacræ paginæ Angelos appellant, quia in Evangelio laborant, & Dei voluntatem gentium populis nunciant. Præterea quemadmodum Christus Dominus inter Deum, & homines mediator est, ita inter Christum & homines mediatores sunt, sicut dicit Jacobus: (1) *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*. Quapropter secundum manifestam Scripturarum phrasim Sacerdotes homines

(1) Cap. 5.

vocari non debent: illi namque, qui Sacerdotes homines vocant, eis utique gravem inferunt injuriam; quia, etsi naturâ homines, tamen Excellentiæ gratiâ hominum nomenclaturam amittunt dum elevantur, atque in ipsa mirifica elevatione Deorum naturam sortiuntur. In hujus mirandæ sortis natura corruit illa Philosophi sententia, quæ dicit *Supremum infimi non attingit infimum Supremi*: nam supremum infimi, qui in Ecclesiastica Hierarchia Sacerdotes dicuntur, attingit infimum supremi, qui sunt Angeli. Unde in veteri Testamento Angeli a Patriarchis, & Prophetis adorari patiebantur. Attamen in Lege gratiæ a Sacerdotibus adorari non patiuntur, ut Joannes testatur dicens (1) *& cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum: & dixit mihi vide, ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum. Deum adora*. Optime nostis (doctos enim vos arbitror in Scripturis) quot, & quantis figurarum peniculis delineata fuerit in Lege Veteri tremenda Dignitas Sacerdotalis; ut inde per tropos, sive per umbratilium figurarum significantiam intelligeremus, in quantum capere possumus, tantæ Dignitatis Excellentiam, cujus potestas, quia suprema, neque parem habet neque superiorem: & quia divina, omnino excedit loquendi facultatem. Nostis (o mira dignatio! O stupenda Sapientiæ & Scientiæ Dei infallibilis dispositio!) quia neque Cherubim, neque Seraphim, neque Thro-

(1) Apoc. cap. 19.

Throni, neque Virtutes, ſed neque ſeptem, qui adſtant ante Dominum *hoc facite in meam commemorationem* audire meruerunt. Utuntur Angeli cibo inviſibili, qui panis dicitur Angelorum: ſed cum reverá ſint excellentioris naturæ, tamen conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti omnino carent poteſtate. Sunt Angeli potentes virtute facientes verbum illius: inceſſante rotatu Cœlos movent, in ſenſibilibus regiam poteſtatem exercent, & tamen immutandi ſpecies panis, & vini poteſtatem non habent. Nos ſoli naturâ fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, miſeri peccatores Myſterium conficimus, quod neque conficere poſſunt ſupernæ Virtutes, neque Dominationes, neque Cœlorum Poteſtates. O Admirabile divinæ Sapientiæ conſilium! Quoties hæc mecum ſerio recogito, & tantæ Dignitatis naturam mente pertracto, toties expaveſco, & toto corpore contremiſco. Quid eſt homo, Domine, ut talem, ac tantum honorem conferres, atque multo altius ab Angelis poteſtatis excellentiâ decorares? Nonne plaſmatus de pulvere, natus de muliere filius iræ, & circundatus infirmitate? Nonne de eo tactus dolore cordis intrinſecus olim dixeras: *pœnitet me feciſſe hominem?* Nonne ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona eſt ab adoleſcentia ſua? Quare ergo ita magnificas eum ſublimem ei conferens poteſtatem ſuper Virtutes Cœlorum? Quare erigis de ſtercore pauperem, &

 ſu-

ſuſcitas de pulvere ægenum dans ei divinæ operationis eſſe Miniſtrum? Sufficeret ad oſtenſionem excellentiſſimæ charitatis, qua diligit filios hominum Pater ille Cœleſtis, ſervos facere divinæ menſæ participes, & non Myſteriorum operantes. Sed quia ejus charitas nimia eſt, placuit ei filios hominum facere participes, atque ex ipſis filiis hominum aſſumere Sacerdotes. Et ideo Angelos non elegit, ſed homines miniſtros initiare complacuit, quia clarior in homine infirmo, quam in Angelo, reſplendet gloria ſuæ Majeſtatis, mirabilior oſtenditur virga divinæ virtutis, atque manifeſtius exprimitur munificentia Salvatoris. Benedictus Deus, qui ita magnificavit gloriam ſuam in gentibus, & dedit talem poteſtatem hominibus. O fratres mei chariſſimi! ſi talis poteſtas nobis a Domino, qualis noſtra debet eſſe confuſio, qualis timor, tremor, & pavor de tantæ dignitatis excellentia, & de vera electionis cauſa? Quanto terrore, quanto conſilio, & prudentiâ hanc rem conſiderare oportet, dum legimus, quoniam neque Abraham, de quo dicit ipſe Dominus: *Abraham amicus meus*: neque Moyſi, de quo idem ipſe ait: (1) *Moyſes fideliſſimus ſervus in domo mea*: ſed neque Præcurſori, qua nullus major inter natos mulierum, conſecrandi, vel abſolvendi commiſit officium. Non ergo quiſquam ſibi aſſumit Presbyteratus honorem, niſi qui vocatur a Domino tanquam Aaron. Vocavit ad ſe Dominus,

quos

(1) Numer. c. 12.

quos voluit ipſe. Neque aliunde tota ſit ratio electionis, niſi ſecundum propoſitum ſuæ divinæ voluntatis. Unde ſpuria electio oritur a motu proprio: vera autem omnino independens eſt a libero hominis arbitrio. Numquid omnes Presbyteri, qui ſunt in Eccleſia Dei, vocati ſive electi credendi ſunt? Abſit: multi enim vocati non ſunt, ſed ſeipſos ingeſſerunt: de quibus dicit Dominus: (1) *ipſi regnaverunt, ſed non ex me. Ego non vocavi eos*. Et alibi: (2) *quæ nolui, elegiſtis: propterea ſervi mei comedent, & vos exurietis: ſervi mei bibent, & vos ſitietis*. Utinam plures non eſſent incompetenter intruſi, quam a Domino vocati; quorum damnatio non probabilis, ſed certa eſt: nam deficiente vocationis gratiâ, quæ nulli conceditur, niſi iis, qui a Domino eliguntur ad Presbyteratum, ſuſcepti muneris partes explere non poſſunt, imo faſcinatâ in agendo rationis potentiâ omnia eis cooperantur in malum. Igitur hi omnes, qui non Dei nutu, ſed propriæ voluntatis motu ſeipſos ingerunt, infallibiliter pereunt: nam ſicut in ſcriptura legitur (3) *qui a via erraverit, in cœtu gigantum commorabitur*: & alibi: *omnis plantatio quam non plantavit Pater meus Cœleſtis eradicabitur*. Matt. 15. v.13.

Nihil ergo, fratres mei dilectiſſimi, magis extimeſcendum, nihil magis formidandum, quam a via legitimæ voca-

(1) Oſeæ c. 8. v. 4.
(2) Iſaiæ, c. 55. v. 13.
(3) Prov. c. 21.

tionis errare: nam a vocationis errore horror procedit incompositæ vitæ, turbulentusque terror perturbatæ conscientiæ. Transversâ vocationis semitâ funesta sors miseræ perditionis accessoria est. Non dabit aberrans, etsi in tempore germinaverit radices altas: imo miserabiliter concidet, & arescet, quia radicem non habet. Non prosperabitur in via salutis, qui erraverit a semita vocationis: sed evanescent sicut lanugo omnes conceptiones suæ, & multiplicabuntur in eo ruinæ. Cum his, qui temere se intromittere gestiunt, loquitur illa Sacræ Scripturæ pertimescenda sententia: *homo qui non est de genere Aaron, & accesserit, occidetur*: quibus in verbis Spiritualis occisio iis qui a via vocationis aberrant, figuraliter intimatur. Unde error a via vocationis certa mors est, & perditio errantis. Infallibile autem erroris argumentum vita deformis. Vocati sunt a Domino ii, qui puro intuitu ad suum respicientes profectum, & salutem animarum laudabiliter implent Presbyteratus officium servientes Domino in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus suis. Amant secessus, fugiunt tumultus: abiectâ omnium terrenarum rerum curâ, & sæculari negotio assidui sunt in lectionis, & orationis cubiculo; neque facile apparent in conspectu populi, nisi rationabili necessitate compulsi: cumque contingit eis incedere per Civitatem, graves, & circumspecti gradientes, habitu, gestu & incessu cunctis afferunt venerationem. Qui autem

tem

tem erraverunt ab utero, & vocati non sunt a Domino hi sunt, qui intentionis acie palpitantes postquam Presbyteratum obtinuere, rem sacram agunt persunctorié, atque odio habentes jugem disciplinam, Laicorum more sequuntur delyrantis mundi figuram. Soliciti quærunt ea, quæ gentes inquirunt: habentes alimenta, & quibus tegantur, numquam implentur: pro pinguiori stipendio, vel beneficio infatigabiliter sudant, atque pro ascendendo ad altiora gentiliter agonizant. Neglecto orationis cubiculo, atque sacrarum literarum studio tota die, ac nocte vagantur per domos fœminarum, vel per thecas mercatorum conferentes successus, & causas præliorum, vel novitates de conclavi Principum animum mendaciis pascentes, vel quod frequentius est, de omni hominum genere murmurantes. A concupiscentiarum spiritu, qui in mundo est, sub speciosa quadam honesta opinione traducti facilè despiciunt ea, quæ ad Sacerdotale pertinent Ministerium: sicque corde dissipati, & non compuncti neque curam gerunt suarum animarum, neque cæterorum. Ecce vocati, & non vocati, fratres mei. Ecce granum, & palea Nunc autem levate oculos, considerate Clericos, & videte quam innumera intrusorum copia sit in Ecclesia. *Electi mei*, ait Dominus, *laborabunt*, *& non deficient*: quos autem non vocavi, exurient, & fame contabescent. Igitur ille Presbyter, qui non simplici oculo, sed alicujus infimæ rei respectu, ut

ut fieret Presbyter, impetravit, & postquam Presbyteratus sibi assumpsit honorem, neglectâ cordis custodiâ & orationis instantiâ incumbit super caduca, & spiritualium fastidio affectus versatur circa terrena, atque parum distans a laicis inhæret sœculo vitam ducens alienam ab instituto, vocatus non est a Domino sed indubitanter a diabolo. O! O quam innumera Presbyterorum turba, & multitudo copiosa in Ecclesia Dei, qui neque vocati, neque introducti, dum seipsos ingerunt, semetipsos miserabiliter in inferna demergunt: quorum gressus, luxurians habitus, corporum cultus, conversandi modus, indisciplinatus rerum appetitus, atque irrequietus affectus in conveniendo ad mundi theatrum de illegitima vocatione perhibent testimonium. O quam multi, dum Presbyteratum assumunt, fœlicem sortem invenisse se credunt, sed animarum suarum inveniunt irreparabile præcipicium! Primam rerum speciem solummodo considerantes, neque ponentes in præcordiis, ut oratione assiduâ pariter & devotâ ediscant quæ sit voluntas Dei beneplacens, & perfecta, temerario ausu, & animi levitate rapiuntur, ut officium assumant, cujus onus etiam Angeli suscipere formidant. Inconsiderati, incircumspecti, sine consilio, proprio innitentes cerebro, vel avaritiæ morbo correpti, vel ambitionis spiritu miserabiliter occupati in suis se extollunt cogitationibus adinstar antiqui latronis, qui ambulans in magnis, atque in mira-

rabilibus ſuper ſe dixit in ſpiritu cordis arrogantiâ elati *ſedebo in monte teſtamenti*. [1] Unde accidit ut opere perficientes temeræ præſumptionis impulſus aſcendant uſque ad Cœlos, & deſcendant uſque ad abyſſos. Quæ te cauſa compulit, dic, Clerice, dic, Sacerdos, ut acciperes locum Miniſterii hujus? Sanctè vivere, & pauperibus evangelizare? Compulit te Dei cultus, an carnis ſpiritus, vel cupiditatis affectus? Quis te vocavit ad Presbyteratus officium? quis te introduxit in tremendum Altiſſimi Tabernaculum? Non Dei, ſed propria voluntas, cujus argumentum vitæ libertas. Sponſa auſa non eſt Regis intrare cubiculum, donec ab ipſo Rege introducta eſt, & tu neque vocatus, neque introductus in Regis cubiculum intrare præſumis? Tu, quin prius Rex virgam auream contra te extendat, in Regis atrium introire non vereris? Superbia cordis tui extulit te, ut Miniſterium eligeres, cujus pondus tuas longè ſuperat facultates. Idcircò ait ad te Dominus: (2) *expellam te de Statione tua, & de Miniſterio tuo deponam te*. In furore meo tuam conteram arrogantiam: non enim habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam. O Eccleſiæ Dei miſeranda calamitas perpetuis potius deflenda lacrimis, quam digna ſermonis! Nihil calamitoſius, (3) fratres mei, in Eccleſia Jeſu Chriſti, quam ad Sacerdotale

(1) Iſaiæ.
(2) Iſaiæ c. 22. v. 19.
(3) In quodam Concilio.

le Ministerium accedere sine vocatione: ex eo namque provenit efferata in Clero morum insolentia, vita scandalosa cum funesta fidelium ruina rerum visibilium fames avara, Sacrorum incuria, scrupulosus zelus pro sola dignitate tuenda, parum, vel nihil pro Dei gloria. Non aliunde mala, quæ patitur Mater Ecclesia, nisi ab illegittima multorum vocatione causantur, dum in eligendo Ministerium judicium prudentiæ suæ quadam animi temeritate sequuntur. Proprio innixus cerebro dicit iste: fieri Presbyter volo; dicit ille: Sacerdotium suscipere proposui in animo: atque hæc sola idea sufficit, ut protinus satisfaciant, si fieri potest, propriæ voluntatis studio. Dignitatem arripiunt, cujus onera nesciunt. Non invigilant, ut examinent motiones internas: sed tota eligendi ratio propria voluntas; atque eo devenit præceps multorum facilitas ut non aliter eligant Presbyteratum, ac si eligerent sutoris, vel sartoris officium. Quid miserabilius in Ecclesia Dei? Idcirco tam multi sunt hodie inutiles arbores autumnales sine fructu, liberius laicis inhærentes sœculo, terram occupantes in otio, nihil proficientes exemplo, sed populum trucidantes scandalo, depravatam habentes animam, Clerici in tanti nominis contumeliam, atque in Ecclesiæ dedecus, & sacri ordinis ignominiam. O turpem temporum notam! In tempore illo Sancti homines omni virtutum genere celeberrimi, & sanctitate famosi, cum ad Sacer-

cerdotium quærerentur, in ſecretoria vaſtæ ſolitudinis nemora penetrantes, in ſpeluncis, in cavernis terræ, in petræ foraminibus latitabant, inter quos Ammonius (1), qui cum de mandato Epiſcopi quæſitus inventus fuiſſet in ſolitudine, tentantibus inquiſitoribus illum trahere per violentiam, de marſupio eduxit novaculam, & ſibi abſcidit auriculam dicens: revertimini ad Dominum veſtrum, & dicíte, quia irregularis ſum, & ideo Sacris initiari non poſſum. Cumque illi reverſi Ammonii factum Epiſcopo retuliſſent, adducite, inquit, illum ad me: hæc enim lex apud ſinagogam, non apud Eccleſiam, quæ potius, quam corporis perfectionem, quærit in miniſtris morum ſanctitatem. Illi iterum Epiſcopi juſſa complentes, cum Ammonium ſecum trahere niterentur, Ammonius forficem de ſinu educens ait illis: videte, quia ſi trahere me contenditis per violentiam, ſubitó præcido linguam. Tunc funeſtum effectum formidantes relicto eo reverſi ſunt. Ajebat Ammonius: tanti miniſterii pondus ſuſcipere, eorum eſt qui præfulgent ſanctitate: & tamen gloriari non debent quaſi immunes a periculo. Illud ergo Sancti ſuſcipiant: ego autem bene me cognoſco; idcirco tantum onus humeris meis imponere recuſo. Non minus poterat multorum compeſcere petulantiam in aggrediendo tantæ dignitatis excellentiam mira Nilaamonis hiſtoria, cujus memoria celebratur in Eccle-

(1) In Vitis Patrum de clericatus honore fugiendo.

clesia (1). Is Sacerdotale fugiens officium inter quatuor parietum angustias incognitus latuit. Sed cum demum fuisset inventus, & vi traheretur, ut susciperet Presbyteratum, in ipso itinere quo trahebatur invitus, oravit ad Dominum dicens: Domine, longe impar sum ad tantum onus assumendum: precor Bonitatem tuam, ut prius quam perveniam suscipere Sacerdotium, suscipere digneris spiritum meum. Hæc cum dixisset, ipso in itinere animam exhalavit. Qua ergo fronte hac in nostra misera tempestate homines, qui sancti non sunt, imo qui ulla sine verecundia laxatâ Christiani pudoris habenâ exlegem vitam egerunt thura adolentes idolis pravarum cupiditatum assumere non verentur Presbyteratus officium? Quomodo ausi sunt Sacerdotale suscipere Ministerium qui Angelicam vitam non tenuere in deserto solitudinis, sed vitam vixere paganam in medio Babylonis? Sancti tanti oneris Dignitatem accipere formidarunt, & homines sœculo dediti virtutibus destituti, carnalibus passionibus occupati in ambiendo tantæ Dignitatis officium nullum in animo patiuntur scrupulum? Arrogantis animi præsumptio est. Temeritas est. Superbia est. Quis non deducat quasi torrentem lachrymas contemplans miseram nostri temporis horam, qua homines justitiæ semitas ignorantes, sed tantummodo terrena sapientes inverecundâ facie, ex propria satisfactione pro im-

(1) In Martyrol. Rom. Mense Januar.

impetranda re caninâ fame agonizant, quam sancti homines Dei totis viribus suscipere recusabant. Olim Sancti, qui verbo, & exemplo Ecclesiæ Dei utiles esse poterant, Sacerdotale pondus fugiebant: hodie vero indisciplinati juvenes, qui Dei populo esse non possunt, nisi offendiculo, non dormiunt Civitatem circumeuntes, Episcopalis Aulæ favorem captantes a manu, a linguâ, ab obsequio animos solicitantes, & ut ita dicam, pedibus, & manibus repentes gravissimo non parcunt labori, ut si quomodo partem habere queant in patrimonio Crucifixi. Utinam mendacium potius loquerer: plures sunt, fratres mei, qui in atria Sanctuarii ingrediuntur Simoniaci, quam legitimé promoti. Quis est, qui in ipso interiori motu, & studio promovendi ad Presbyteratum puro oculo tanquam in terminativum obiectum divinum respicit cultum, suum simul spiritualem profectum, & salutem animarum? Habes pauca nomina in Sardis. Omnes quæ sua sunt quærunt non quæ Jesu Christi (1) *O quanti homines infelices ad Sacros Ordines accedunt non cœlestem panem quærentes sed terrenum: non Spiritum, sed lucrum*. Suspirioso rapiuntur anhelitu ad Presbyteratum, ut ab Ecclesia proventus percipiant, ut tuto victum habeant, ut nepotes extollant, ut cum commoditate, atque ullo sine labore vitam vivant, ut liberius vitiis indulgeant, ut de gradu in gradum ad dignitatum culmen ascendant. Ecce quæ

D & qua-

(1) S. Bonaventura.

& qualis ſit plurimorum intentio, fratres mei: quorum oculus cum ſit nequam in eligendo Presbyteratum, quid inde, niſi totum opus eorum tenebroſum?

Duas genas habet intentio, ſicut legitur in Canticis (1) *quam pulchra ſunt genæ tuæ:* quarum altera hæc eſt ſcilicet *quid intendis?* Altera, *propter quid intendis? In cunctis*, ait Philoſophus, *principalitas ſtat in intentione agentis*; ipſa quidem dat actui ſpeciem, naturam, & nomen. Igitur fieri Presbyter optas? Bonum opus deſideras: oportet enim Presbyterum Sanctum eſſe, quia Sanctum ſuper altare offert pro humano genere Sacrificium. Oportet nihilominus ſcientiâ, & doctrinâ præditum: ipſe namque eſt Presbyter in populo Dei, & ex ipſo pendent animæ cœterorum. Sed propter quid intendis aſſumere Presbyteratum? ut creſcas in ſanctimonia: & infatigabili animarum zelo labores in vinea, an ut ſervili ſine labore poſſideas redditus in abundantia? Intra, intra in tui cordis cubile ſecretum, exentera intentionem tuam, & mihi dicito veritatem: traxit te ad Sacerdotium amor ſalutis tuæ, veritas, ſcientia, & doctrina, an alicujus temporalis lucri concupiſcentia? O quis mihi det in vaſta eremo breve tugurium, ubi per reſiduum vitæ fugacis in fletu, & gemitu ſolus ſederem, ſimilis factus pellicano ſolitudinis! Oportet potius amarè flere, quam prædicare. Dignius arbitror trahere ab imo corde lamentum, quam

(1) S. Bernardus ſup. cant.

quam de innumerabilium misera perditione conflare tractatum. Innumeris scatet Ecclesia latronibus, fratres mei, qui non intrantes per ostium simplicis intentionis, ascenderunt aliunde per fenestras suæ cupiditatis. Ad ea, quæ spiritus Dei sunt, non intenderunt animum, sed temporalia rapuerunt oculos eorum. Parentes etiam filios adhuc matris ubera lambentes designant Sacerdotes; hunc, inquiunt, filium destinamus ad militiam, ut si forte possit faustam tentare fortunam: illum ad matrimonium ad prolem nostri generis propagandam: illum autem reservamus ad Ecclesiam causâ honoris, & gratiâ utilitatis, ut habeamus, qui nos adjuvare possit in tempore senectutis, & non desit nobis baculus, neque virga, cum defecerit virtus nostra. Quid aliud Parentes faciunt, nisi Dei prævenire consilium? Quid aliud quærunt, nisi sibi-ipsis temporale solatium, & animabus filiorum interminabile detrimentum? Non est amor Patris erga filium, sed amor proprius erga lucrum. Sunt præterea juvenes, qui de sua vocatione prorsus incerti vivunt ad quælibet amplectenda parati; si prius offerri contingat utile matrimonium, statim uxorem ducunt. Si prius habere possint pinguem canonicatum, ad Sacros Ordines statim accedunt. Si autem Officialis militiæ titulum, statim animum ad arma convertunt. Quid hoc est, nisi Deum despicere, futura contemnere, & sola terrena desiderare? Pro his sudant, hæc sola habere solicitant, qui in

occurſu avaritiæ ſuæ animam æſtimant tanquam paleam. Unde accidit, ut ſacris initiati in ſectando gyros ambitionis, & avaritiæ vivant quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt: quorum ruina ante oculos manifeſta eſt. Sunt nihilominus Presbyteri in populo Dei, quorum vocatio a Deo non fuit divinitus inſpirata, ſed a Mammona: potius enim vocati erant ad mercaturæ negotium, quam ad Presbyterale Miniſterium. Hi ſunt, qui animam poſt tergum proiicientes cum Dignitatis contumelia, & profeſſionis injuria turpiter recedunt a Sanctuario, atque Sacro valedicentes inſtituto ſuſpirioſo cordis anhelitu turpi incumbunt mercimonio. Emunt de bonis Eccleſiæ, ut vendant: vendunt, ut lucrifaciant: lucrifaciunt, ut in crumenâ reponant; reponunt, ut obcœcati a diabolo in noviſſimo dierum demergantur in profundum. Paſcunt in villis oves, & boves, equos, & equas, porcos, & capras, atque deferentes cum infamia Sacerdotale officium ad nundinas accurrunt, in quibus ipſi per ſe res ſuas vendunt more negotiatorum. In diebus abundantiæ vinum, frumentum, vel oleum comparant, non ut in penuriæ tempore Parochianis diſtribuant, ſed ut reſervent, ut abſcondant eo peſſimo fine, ut in neceſſitatis anguſtia carius vendant. Quid turpius, quid iniquius, imo quid peſtilentius in Eccleſia, quam hujuſmodi Clericorum ſacrilega avaritia? Quid dolore dignius quam do-

domum Dei fures sustinere rapaces, & Jesu-Christi Ecclesiam pati pessimos mercatores? Avertat Dominus propter suam misericordiam ab Ecclesia Sancta sua tales Clericos, qui a satana fascinati propter avaritiæ studium, locum Sanctum convertunt in telonium exercentes mercaturam in Ecclesiæ ignominiam, in sui detrimentum, atque in miseram stragem animarum. Horum vocatio motum non habuit a Dei gratia: sed potius vocavit eos omnium malorum scelerata radix avaritia. Nonnulli sunt insuper, qui, ut ipsa perhibet effrænata vitæ licentia, potius vocati erant ad matrimonium, quam ad offerendum Sacrificium. Hi sunt, qui phyloginiâ laborantes Clericatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. (1) Omnis his cura de vestibus, ut eleganter incedant: digiti de annulis radiant: retortas gerunt sparsa fulligine comas: gradiuntur per medium populi ducentes cum arte plantas; strenuè compositi, mirificè culti circumcursant plateas imitantes comicas figuras, & obsequiosis motibus salutantes fœminas incumbentes ad fenestras. Hi sunt, qui dorsum vertentes Templo Dei, solemne habuerunt in medio mulierum commorari, eis adinstar tenerè amantium inservire, insertis brachiis palam deducere, atque ita erga eas amore, & obsequio trahuntur, ut non jam Clerici, sed potius mariti esse credantur. Utinam tam impia scandala abscindantur ab Ecclesia; neque patiatur

 Deus

(1) S. Hieron. in Tract. de custodia virginit.

Deus pollui Sanctuarium a nefanda turpidine Clericorum, sicut hodie non sine inconsolabili cordis lamento cernimus esse pollutum! Quis hos fœminarum clientes, quis hos mulierum amatores vocavit ad Presbyteratum? Non Deus, sed Asmodæus: non Dominus, sed malesuadæ carnis spiritus.

O commiseranda Jesu-Christi Ecclesia quanto dolore, & compassione digna! In Ecclesiæ detrimentum hæc omnia geruntur. Neque soli initiati in ignis æterni pœnam abibunt, sed & hi, qui talibus hominibus Sacros Ordines conferunt. Debentur Ecclesiæ utiliores Ministri: sed hodie (proh dolor!) humanæ relationis nutu totum geritur, & Ecclesiæ utilitas non curatur. Informatio, potius dicam, testimonium, quod de vita, & moribus ad promotionem exigitur, vel tantummodo formularium est, vel in eo mala occultantur, vel bona finguntur. Unde hodie, ut quis promoveatur ad Clericatum, non quæritur spiritus, non requiritur scientia, non meritum, sed solummodo beneficium vel patrimonium. Abiit jam jam in oblivionem, & desuetudinem illud, quod scriptum est: *docti, ac spectata vita homines ad id officii munus deligantur* (1). Videmus namque quampluri- mos ab adolescentia sua Parentum officia suscepisse: cumque aliam non didicerint scientiam, nisi vineas colere, & terram arare, contingente eis consanguinitatis capellania, statim ligonem, seu aratrum relin-

(1) Ex Decreto S. Zephyrini Papæ, & Mart.

relinquunt, & cooptantur in numerum Clericorum. O tempora! sufficit, ut quis beneficium Ecclesiasticum habeat, ut Presbyter fiat: ac si sola esset capellania, vel beneficium legitimae vocationis argumentum. Unde idiotis, atque inutilibus plena est Ecclesia Dei: reperiuntur enim etiam latini sermonis ignari, qui dum recitant, neque quae dicunt, intelligunt, sed neque Missae Canonem capiunt. Et utinam in promovendis idiotis gradum sisteret Ecclesiae miseranda calamitas, & non progrederetur ultra in promovendo ad Sacros Ordines homines vertiginosos, cyclopes, liberrimae vitae sequaces. Videmus multos (quorum sortem amare flemus) qui praecipitem fluxum sequentes indisciplinatae juventutis, penetrant domos adamantes ardentissimo amore mulierculas oneratas peccatis. Ambulant in nocte armis accincti: cantantes ad cytharam veniunt de taberna in tabernam, atque laxantes fraena pudori in ebrietate, & lascivia pernoctant. Hi, si haereditarium contingat accipere beneficium, statim non de cubiculo compunctionis, sed de domo turpitudinis veniunt in Episcopale Palatium, atque vel vi munerum, vel interventu nobilium, vel precibus amicorum haec omnia mala dissimulantur, & ad Sacros Ordines promoventur ii revera, quibus potius debebatur damnatio ad triremes, quam promotio ad Ordines. Hinc est, quod, qui in juventute sua carnaliter conversati sunt, post susceptum Presbyteratum difficile

as-

assueta relinquunt, ficut in Sacra legimus Scriptura: [1] *adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea:* & liberius forsitan, quam cum laici, prolabuntur in vitia. Hinc est quod hodie hujuscemodi Clericorum causâ in amaro conflictu constituta gemit Ecclesia sustinens in dolore Clericos sine conscientia, Ministros sine disciplina, & Sacerdotes in figura. Quare tot afflicta malis Mater Ecclesia? quare tot angustiata pressuris? *Quia dant Episcopi Sanctum canibus, & margaritas porcis* (2). Citó manum imponunt immemores illius, quod scriptum est: *qui ordinant indignos, eisdem subjacent pœnis, quibus hi, qui ordinati sunt: etsi dicant eorum vitia ignorasse.*

Nos autem fratres mei, qui jam Presbyteri sumus, nostram vocationem, & electionem attenté consideremus. Recogitemus animo, quis nos vocaverit, quis nos elegerit ad tantæ dignitatis officium: nam cum propositum a Deo non esse probetur, de periculo animæ agitur. Vocationes ergo discernere oportet: vocat enim Dominus: vocat mundus: vocat diabolus: & vocat carnis spiritus. Vocat Dominus, ut serviamus ei in cultu Tabernaculi coram frequentia populi: ut eamus, & fructum afferamus, & fructus noster maneat. Vocat mundus ad vitæ superbiam, ad sæculi pompam, ad sectandam ejus figuram. Vocat diabolus ad avaritiam, ut Clerici, qui soli sunt,

(1) Prov. 22. v. 6.
(2) S. Bernar. in epist. ad Innocent. Papam.

ſunt, & hæredes non habent, de bonis Eccleſiæ adaugeant pecunias. Vocat carnis ſpiritus ad turpes illecebras. Unde facile, cujus ſub caſtris quis militet, innoteſcet. Igitur unde ſcire poſſumus an a Deo vocati ſimus? ſi opera bona faciamus; ait enim Petrus: [1] *fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Sed ſi per bona opera certa fit, per mala opera incertam fieri non dubium eſt. Certa fit vocatio, & electio noſtra, cum abjuratâ omni externâ occupatione, atque ſæcularium conſuetudine, ſolitudinem colimus; cum lectioni, orationi, & Sacrarum litterarum ſtudio die, ac nocte vacamus; cum contenti his ſolummodò, quæ ad pauperem victum, & vulgarem veſtitum Chriſtiana prudentia neceſſaria judicat, omnia, quæ habemus, pauperibus erogamus; cum cubiculum, vel Eccleſiam, quæ quidem locus eſt, in quo debet orare Sacerdos, niſi rationabili neceſſitate compulſi, non relinquimus; demum cum verba vitæ populo prædicamus: Clericum, qui his bonis demoratur, & adusque in finem perſeverat, a Domino vocatum, & electum certo conſtat. Fit incerta vocatio, cum diſſipato corde ſanctitatis locum deſerimus; cum ad terrena negotia tractanda mentem inducimus; cum otioſorum coronas diligimus; cum fœminarum obſequiis operam damus; cum plus quam neceſſaria quærimus; cum in verbi Dei prædicatione ne-

(1) Per. 2. cap. 1. v. 10.

negligentes ſumus. Clericus, qui de interiori domo ædificanda nihil, vel parum cogitat, qui aſſiduæ meditationi non vacat, qui injunctum officii munus obire recuſat, qui ſæculi negotiis involvitur, atque laicorum more per viſibilia vagatur, ab iis, qui a Deo vocati ſunt, evidenter excluditur. Non eſt utique in Electorum conſortio, qui negligenter ſe gerit in officio, atque relicto Sanctuario inhæret ſæculo. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, atque ſuum, ut oportet, implevere miniſterium. Qui vero Chriſti non ſunt, hi ſunt, qui ſecundum carnem ambulant & diligunt mundum: ipſi ſunt filii Belial neſcientes Dominum, neque Sacerdotale officium. Conſiderate ergo, fratres chariſſimi, quam magna Clericorum multitudo ſit in Eccleſia, quorum vocatio ſpuria fuit, non legitima. Videtis Clericos, qui in tantum Eccleſiaſtica exercent officia, in quantum lucratoria; qui abſoluto intra decem vel duodecim minuta tremendo Miſſæ Sacrificio, atque dicto ſolummodo in gratiarum actionem pſalmo *Laudate Dominnm omnes gentes*, *vel de profundis* in ſuffragium pro mortuis, ſtatim, ulla ſine mora recedunt ab Eccleſia; atque eleganter ſe componentes ad figuram, ut hominibus placeant, unuſquiſque ad ea peragenda accelerat, ubi theſaurizat: iſte elephantico ambitionis morbo correptus totum extrhait diem in deoſculando manus, donec tandem venire contingat ad illos honores, quos inordi-

na-

natus desiderat appetitus. Ille avaritiæ febri miserabiliter æstuans connexiones quærit, opportuné, importuné adit, & nihil non tentat, ut pinguiores proventus obtineat. Sudat, die, ac nocte laborat, invigilat, atque in circuitu ambulat velut asinus ad molam, ut suam, si fieri potest, impleat avaritiam. Iste carnalium tractus amore diei, ac noctis insumit horas in visitando fœminas, quarum illecitiva colloquia ad carnis turpia faciunt, ut miser Clericus semper vivat exaltatâ concupiscentiâ. Ille laboris hostis infensus ad portas mercantium sedet otiosus, vel ut narret mendacia, vel ut audiat commenta, vel ut ab ore proferat inutilia. Omnes denique secundum sua desideria versantur; atque ubi est impetus spiritus eorum, illuc gradiuntur. Videmus plenas Clericis Civitatis platéas fora, compita, vias: in Ecclesiis veró solas Sanctorum Statuas. Quid hoc est, fratres mei, nisi quia omnes demptis paucis, qui vacant instituto, vocati non sunt a Domino, sed a spiritu qui dominatur in sæculo?

Igitur accincti sacco sedeamus in cinere, & cilicio plangentes Ecclesiæ mala, quæ patitur ab his, qui apud se non recte cogitantes dixerunt: *venite, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei*. Ploremus coram Domino: effundamus corda nostra coram illo humiliter deprecantes, ne nos, qui Sacerdotalis officii munere fungimur, intrusorum numero copulemur. Absit hoc a te, Domine, absit ut

a te nos repellas, ne Sacerdotio fungamur tibi, & in die superventuræ calamitatis portionem nostram ponas cum hypocritis. Connuentes super facies nostras Bonitatem tuam adoramus, atque ea, quæ injusté egimus, amaré flentes, veniam exposcimus. Quod si concupiscentiæ nostræ aberrare fecerunt a semita debitæ conversationis, gratia tua nos reparet ad opera charitatis. In misericordiarum tuarum abundantia transfer delicta nostra: atque, ut Sacerdotii partes, sicuti decet, explere possimus, confirma nos in virtute tua. Effunde desuper, Domine, mundam aquam: mitte de Sede sancta tua assistricem sapientiam, ut in vocatione, qua vocati sumus, digné, sancté, & piè, perseveremus ad illum diem, in quo recepto corpore in tuba novissima recipiamur in æterna Tabernacula, ubi vivis, & regnas per infinita sæcula. Amen.

DIE TERTIA

Oratio prima in mane.

NOli mihi irasci, Domine, si loquar ad te, cum sim pulvis, & cinis; neque repellar a te tanquam præsumptuosus, sive temerarius, si, cum sim putredo, & vermis, effundam in conspectu tuo loquelam gemitus. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te:

te: ne, quæso, propter duritiem iniquitatis meæ in duritia manus tuæ adverseris mihi: neque, quia quondam aures averti a Lege tua, fiat execrabilis oratio mea: si enim usque modo erravi sicut ebrius proiiciens post tergum sermones tuos, & consumens dies meos in vanitate, ecce ego ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere. Ne me, precor, in indignatione conteras. In judicio, non in furore corde dejectum corripias, ne forte me ad nihilum redigas. Recordare, quia tu es, Domine, qui amas animas. Quod si formidandus criminum ultor, & Judex severus, tamen peccatorum, & publicanorum amicus, qui verso in clementiam zelo justi rigoris, illorum domos frequens intrabas, & manducabas cum illis. Memor esto hujus, Domine, & a me misera cratura iram tuam averte. Quis sum ego, ut torrentem iræ tuæ sustinere possim? Si parvam scintillam ferre non valeo, quomodo tonitrum magnitudinis tuæ portare potero? Ecce substantia mea tanquam nihilum ante te. Si quid sum, fumus sum deficiens, umbra fugiens, nubes evanescens, & vapor ad modicum parens. Ne ergo fluctus tuos inducas super me; neque ostendas potentiam tuam contra folium, quod vento rapitur, neque siccam persequaris stipulam, quæ a modico flatu facile tollitur. Transierunt dies mei sicut aquila volans ad mortua corpora, & sola relicta est contorquens cor meum nebulosa

 con-

conſcientia. Propterea poſſident me dies afflictionis ulla ſine requie, atque dies mei ſine ſolatio tranſeunt in amaritudine. Antequam comedam, ſuſpiro; lancinat præcordia dolor, dum comedo, atque poſt captum cibum neſcit cor anxium a ſolito ceſſare lamento. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, atque utinam poſt afflictionum torrentem, quem pertranſit anima mea, pars mea hæc eſſet ut doloris victima factus obirem nullum prorſus accipiens in mortalium terra ſolamen. Excruciat mea viſcera peccatorum memoria, atque depoſita vehementer anima ſedet in triſtitia exitum pertimeſcens in illa mortis hora tremenda: dumque mente revolvo, & animo repeto, quod ullo ſine frœno vel timoris, vel amoris ſervire te fecerim in peccatis meis, nimio rubore ſuffuſus vultu concido, atque apprehenſivâ vi animum agitante rapior quaſi deliquio. Contremiſcunt oſſa variarum cogitationum concuſſa tumultu, præſertim cum ſciam quoniam peccator malè habebit in noviſſimo, atque virum injuſtum mala capient in interitu. Idcirco die, ac nocte rugio a gemitu cordis mei aquam bibens de torrente amaritudinis, & ſatians animam pane tribulationis. Irruit velut fortis armatus timor ſuper me, ſi forte in die illa ſalvabitur anima mea. O me miſerum! quid, ſi ire contingat in ignem æternum? Poſſibile eſt: & quidem facile: præſertim ego, qui a die, qua ex utero matris exivi, ſi quid boni feci, ignoranter, &

non

non volens feci. Facillimum profectò eſt mitti in ſtagnum ignis, qui ſic cucurrit viam iniquitatis, donec appropinquaverit uſque ad portas mortis. Factus eſt in toto corpore meo copioſus ſudor præ timore, & admodum expaveſco, dum hanc nimiam facilitatem a facie peccatorum meorum ſeriò conſidero. Aſſimilabor, Domine, deſcendentibus in lacum? Non aſpiciam hominem ultra, nec habitatorem quietis, ſed pars mea cum his, qui habitant in ſepulchris? Portio mea non in terra viventium, ſed in terra tenebrarum? Hei mihi! amiſſâ Patriâ in ignis æterni pœnam abibo, & Creatorem meum non videbo? Partem amittam glorioſæ ſortis, & ſequeſtrabor ab his, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Melius erat mihi, ſi natus non fuiſſem, vel fuiſſem velut abortivum abſconditum, vel ſicut qui concepti non viderunt lucem. Cum hæc facile fieri poſſe corde recogito, in me non remanet fortitudo, ſed & ſpecies mea immutatur in me, & emarceſco, nec habeo quidquam virium. Conſternatus jaceo ſuper faciem meam, atque præ nimio terrore vultus meus hæret terræ. Quid faciam, miſer, vel quis eſt, qui protegat, ſi, quemadmodum facile eſt, in locum tormentorum abire contingat? Hei: hei mihi! ſi cognoviſſem & ego, & quidem in hac die mea, quæ ad pacem mihi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis meis. Nunc enim non inſers furorem tuum, nec ulciſceris ſcelus valde. Taces nunc, ſiles, & patientia tua ma-

gna nimis. Sed cum venerit dies tua in insperato momento, excitaberis tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino, a fundamentis commovens peccatorem in furore tuo. Nunc autem exultat peccator in desideriis animæ suæ: nihil ei accidit triste: sed cuncta ei eveniunt prospera, & ullo absque futuri terrore glorificatur in vita jucunda. At veniet ei repentina dies, in qua turbabitur timore horribili, atque extemplo præocupatus die mortis mirabitur in subitatione insperatæ salutis dicens intra se; ergo erravi a via veritatis. O quanto angustiarum turbine volvitur anima mea, Domine, quanto terrore agitur, quanta pressura comprimitur, si, cum libri aperiantur, & palam humani cordis abscondita revelentur, pars mea sit cum his, qui in interminabilium tenebrarum vorticibus sepeliuntur! Discedam a te, Domine Jesu? hanc animam, pro cujus redemptione usque ad mortem agonizasti, devorabit inferorum abyssus, & vadam in ignem, qui paratus est diabolo, & angelis ejus? Quasi fulgur de Cœlo cadens in tenebras exteriores abibo, & Cœlestem Jerusalem matrem meam non videbo? Non jam amplius comedam, neque bibam super mensam tuam, sed esuriam, & sitiam cum divite illo, qui interdictâ aquæ guttâ expetitâ per Lazarum adhuc sitit, & sitiet in æternum? Noli, Domine, noli me perdere, quem formasti, & pretioso sanguine redemisti. Memorare, quæ mea substantia, & quoniam

niam hominis aſſumptâ naturâ de Cœlo veniſti, ut languores noſtros ferres, ut dolores noſtros portares, & peccata mundi tolleres. Veniſti vinctos educere in fortitudine, omnes, qui corruunt, erigere, cœcos illuminare, errantes corrigere, & ſanare contritos corde: Abſit, ut, cum de longinquo veneris ægrotos reddere ſanitati, me ſaucium relinquas ſempiterno obnoxium dolori. Sanabas claudos, illuminabas cœcos, mundabas leproſos, erigebas curvos, atque de grabato faciebas ſurgere paralyticos. Ecce claudus, qui in via juſtitiæ neſcivit ponere greſſus, ſed claudicavit carnalium cogitationum involucra ſequutus. Ecce cœcus, cujus abſtulit lumina corruptæ carnis ſordidus appetitus: atque propter iniquitatum multitudinem non potui, ut viderem. Ecce leproſus, cujus rationales potentias maculavit propria voluntas, dum intentione, vel modo vitiat actiones honeſtas. Ecce curvus, qui ſtulté contemnens ſperandarum rerum ſubſtantiam oculos ſuos ſtatuit declinare in terram. Non quæ ſurſum ſunt, quærit, ſed ſola terrena ſapit. Ecce paralyticus qui in pravæ conſuetudinis grabato jacet immotus, languidus ſine affectu virtutis, aridus ſine ſucco devotionis, frigidus ſine calore charitatis. Igitur cum tu de Cœlo adveneris miſericors medicus, ne, precor, inſanatus recedat miſer ægrotus. De te ſcriptum legimus: & ſanabat omnes: & livore ejus ſanati ſumus. Sana me ergo, Domine, & ſa-

nabor. Huic cœco, claudo, leproſo, curvo, paralytico, qui undique morbis affectam patitur animam, efficacem porrigant tua vulnera medicinam. Habes tu, Domine, intrinſecam in verbo virtutem, & facile eſt in oculis tuis ſubitó ſanare dolentem. Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum: & tibi dicet anima mea: ſolus mea tu es. Hanc morbidam ovem ne deſeras tu, qui ſuper filios hominum multiplicas miſericordias. Tantummodo reſpice in me, & ſufficit mihi, ut reddatur anima mea priſtinæ ſanitati. Eja, fac, Domine, lætifica animam meam in ſalutari tuo, & miſericordias tuas in æternum cantabo.

Oratio ſecunda ante prandium.

O Deus Altiſſime, qui habitas colles æternos, qui pugillo contines totum orbem terrarum, qui ſolus ſedes ſuper ſublimia Cœlorum, quantus ſum ego, ut loquar verbis meis tecum? Tu, cujus ſapientia mirabilis attingens a fine uſque ad finem: cujus fortitudo terribilis detrahens in infernum rebellem, & ferreis funibus alligans fortem: qui in ſolo verbo commoves terram de loco ſuo, orbis terrarum baſes dilocantur, & columnæ ejus concutiuntur: a cujus tonitrui voce formidant montes, & exultant ut arietes: Sanctus Deus: Sanctus fortis: Sanctus immortalis, qui in ictu oculi perdis omnia, & ſolo ſermone reſtauras univerſa: quis ſum ego, ut ante

tan-

tantæ Majestatis præsentiam assistere audeam? Audacia profecto est loqui velle cum Omnipotente Deo , qui creatus de nihilo, & plasmatus de luto contemptibilis valde est, vermis, non homo; si tamen homo, vanitati similis: imo vanus in concreto, & universa vanitas in abstracto. O Domine Deus, ignosce mihi: audacia quippe est velle ad Omnipotentem, cum sim vermiculus, jactare sermonem. Sed audaciam loquentis excusat extrema necessitas deprecantis, & nimia benignitas Salvatoris. Scio, quia non permanebunt injusti ante oculos tuos, & quia longé es a corde, cui dominatur iniquitas. Tamen nihilominus scio, quoniam omne, quod veniat ad te, non eijcies foras. Venio ad te, ut amoveas a me plagas tuas, quas digné promerui propter iniquitates meas. Accedo ad te, ut a te, qui pater es luminum, mens sedentis in tenebris illuminetur, & facies mea non confundatur. Appropinquo tibi, ut appropinques mihi, & mundes cor meum ab iniquitate tu, qui solus facere potes mundum de immundo conceptum semine. Si a te discedere velim, quo ire potero, ut vitam invenire possim, cum non sit alius extra te neque in Cœlo, neque in terra, sed tu solus salus, vita, & resurrectio nostra Deus in similitudinem hominum factus, per quem salvati, & liberati sumus? Ad te ergo veniam, o bone Jesu, qui expandens manus tuas tota die clamas sine discrimine invitans: venite ad me omnes,

non

non nisi ut reficias lassos, & corrobores debiles. Ecce lassus a via iniquitatis: ecce debilis in operatione virtutis, vir insipiens, homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate; inanis homo, totus in circuitu passionum morbis infectus, peccatis onustus, & meritis vacuus. O Domine, afflictio mihi magna est, & continuus dolor cordi meo! quia non sum sicut coeteri homines. Coeteri enim si peccatores sunt, forsitan sunt mobilitate animi, vel ignorantiâ. Ego autem (O me miserum!) peccator sum ex malitia. Coeteri dum peccata perficiunt, quid faciant, fortasse nesciunt, quia vel inconsideratione, vel perfecta sine libertate consumant actum. At ego malum coram te feci non nesciens Dominum. Coeteri peccatorum rubore suffusi ausi non sunt oculos in Coelum levare. Mihi vero facta est frons meretricis, & nolui erubescere. Fornicata est anima mea cum amatoribus multis, & non est recordata finis sui cum turpiter inserviret voluptatibus carnis. Utinam stulta aliquando saperet, & intelligeret, & novissima provideret. Sed hei mihi, hei mihi! quia indisciplinatæ carnis obtenebrata passionibus transilit effrons contemnens futura atque incerto discurrens per illicita desideria circumfertur hinc inde tanquam filia vaga. Cumque post unctum oleo, ut tibi in Sanctuario oblationem mundam offerrem, ad cor redire debuissem, sacratissimi instituti, quod ipsa tantæ Di-

gni-

gnitatis ratio expostulat, prorsus oblitus liberioris vitæ præruptam semitam sum sequutus. Ingrediens domum sanctificationis tuæ, cum ibi sancté vivere oporteat, tanquam qui ministrat, a pravitate cordis mei mali non recessi, imo potius super dolorem vulnerum tuorum addidi. O me plusquam dici potest, insipientem, quandiu ponam consilia in anima mea, & dolorem in corde meo per diem! Dorsum verti Dei Sanctuario, atque odio prosequens animam volutatus sum usquequaque in carnis sterquilinio. Etenim homo absque consilio, & sine prudentia, qui dum immodestis passionibus, atque carnalibus desideriis tribui culturam, Sanctum canibus dedi, & porcis tradidi margaritam. Hei mihi misero! Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus! qui me justitiæ vestibus spoliantes etiam colli protecta nudarunt, atque plagis impositis abierunt me non jam semivivo relicto, sed penitus mortuo. Mortuus sum, & spiraculum vitæ in me non est. Quemadmodum mortuus ob defectum vitalis spiritus non sentit ea, quæ vivo sunt sensibilia, ita ego ob spiritus, & vitæ defectum factus insensibile lignum, vel similis saxo nihil sentio: mirabilia Sacramenta, quæ operata est manus tua, non percipio, quia amissa spiritualitate a prava peccandi consuetudine, relicta est mihi, ut ita dicam, sola animalitas, animalis autem homo non sentit ea, quæ spiritus Dei

Dei ſunt. Præterea ſicut mortuus amiſit audiendi ſenſum, ita ego perdidi cordis auditum: te enim ſtantem ad oſtium, & pulſantem non audio, neque ſapientiam in ſummis excelſiſque verticibus, ſupra viam, in mediis ſemitis clamitantem aure percipio: quia aures audiendi non habeo. Mortuus ſpiritu vocem non audio vocantis ſalubriter, ſed tantummodo voces incantantium ſapienter, dum a veritate quidem auditum averto, & ad audiendas fabulas animum induco. Non videt mortuus, ſed neque ego, quia ſpiritus vitâ defunctus. Occupant me horribilium volumina tenebrarum; & quia jacens in loco obſcuro, colores diſcernere nequeo. Excœcavit me malitia mea, dum diſſipato corde per fabuloſum mundi theatrum ſecutum eſt oculos meos cor meum. Idcirco venerunt ſuper me caligo, & tenebræ, & ecce facta eſt nox, atque in ipſa pertranſeunt omnes beſtiæ ſylvæ. Leo ſuperbiæ, tigris avaritiæ, urſus luxuriæ, leopardus iræ, lupus gulæ, vulpes invidiæ, & onager negligentiæ. Has irruentes beſtias non video, quia pertranſeunt in noctis horrore, quando lucernam pedibus meis, quod eſt verbum tuum, oculi faciles amiſére. Sicut mortuus non guſtat, ita & ego non guſto, quia inebriatus de calice Babylonis ſaporem amiſi ſupernæ dulcedinis. Idcirco omnem eſcam abominata eſt anima mea faſtidio habens virtutem, & ſolummodo placet ei, quod guſtatum affert mortem. Nihilominus ani-

anima perdidit odoratum, dum carnalium illecebrarum assueta fœtori post te non currit in odorem unguentorum tuorum. Perdidit tactum, dum immotas patitur manus ad praxim virtutum. Pedes amisit dum abiens post inordinatos affectus a justitiæ semita declinavit. O me nimium infelicem! Abstulerunt a me spiritum vitæ venena concupiscentiæ: atque in impetu malesuadæ carnis præcipitem me dedi in barathrum tenebrosæ caliginis, donec appropinquaverim usque ad portas mortis, factus sicut vulnerati dormientes in sepulchris. De profundis clamo ad te, Domine, & exalto vocem meam, ut veniant mihi miserationes tuæ, & vivam. Resuscita me, vivifica me, atque in potentia tuæ virtutis exalta me de portis mortis, & oculi mei non videant tenebrosa loca abyssi jacentis. Mitte de sede magnitudinis tuæ in emortuam animam sensum, & sapientiam: ipsa sola potest mihi esse remedio: nam per sapientiam sanati sunt, qui tibi placuerunt, Domine, a principio. Aures perfice mihi, atque, ut festinus obediam, fac me audire vocem tuam. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: per ipsos enim tanquam per fenestras intravit mors, & cordis pretiosum rapuère thesaurum. Pone ergo in oculis meis vigilem circumquaque timorem, & averte eos, ne videant vanitatem. Da, Domine, naribus meis spiritum tuum, ut sentiens vestimentorum tuorum fragrantiam, humanitatem scili-

eet Divinitati conjunctam, curram post te, donec inveniam. Aufer ab ore meo saporem sœculi, & da mihi, ut gustem, & videam quam suavis est, Domine, spiritus tuus; qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de Cœlo præstito bonis reples exurientes. Fac, ut degustato jam carnalium rerum amaro felle tua replear suavitate. Conforta, Domine, manus dissolutas, & ne relinquas virgam peccatorum super me & extendam manus meas ad operationes iniquas. Genua debilia robora, & perfice gressus meos in semitis tuis, ut moveantur vestigia mea.

SERMO II.

Sancti estote, quia & ego Sanctus sum.
Levit. c. 19. v. 2.

PRædicaturus, Fratres dilectissimi, de sanctimonia, quam tantæ dignitatis exigit excellentia, atque simul de improportionata, vel potius ex diametro opposita multorum vita, vel etiam de communi, quam parit opinio falsa, sensum vellem potius, quam verbis significare, profusis lacrymis aperire. Sunt etenim, quæ mihi exponere præcipiuntur, potius quam eloquio, profundo cordis digna lamento, & potius quam calamo, ferreo stylo. Igitur pro prædicationis exordio in lumborum contritione ingemiscam: atque gemitum meum ex imis visceribus, & ani-

& animi amaritudine proferam. Plorans plorabo, & a ploratu non quiescam, donec superest halitus in me, quia nos, qui Sacerdotes sumus, & ineffabilia Dei Sacramenta tractamus, nullum inter pollutum, & mundum, nullum inter profanum, & Sanctum discrimen facientes profanis sacra miscemus, dum mensam Domini immunda carnalium affectionum fæce polluimus. Sancta, quæ manibus nostris quotidie tangimus, intellectu, quantum fas est, investigare contemnimus, atque circa ea insensibiles tanquam lapides effecti sumus, quia mentis aciem a densis passionum nebulis purgare nolumus: idcirco occulta sapientiæ suæ, quæ iis, qui mundo sunt corde, Dominus manifestat, nobis aperire non juvat, imo potius quia in carnis voluptatibus, inordinatisve passionibus frontosi persistimus, cor nostrum excoecat, oculos nostros claudit, & aures aggravat, ne forte intelligamus, & sanet nos. Hinc est, quod devorata omni sapientia nostra a fera pessima, quæ effrons est sine disciplina carnis immoderantia, ineffabilia, quæ gerimus, mysteria non capimus, neque sanctitatem, quam ab agente Sancta requirunt, ediscimus, sed neque ediscere quærimus: imo sicut stultus, qui contemnit, & transilit, transilimus, atque velut Ephraim vitula docta diligere trituram (1) Missam a consuetudine celebramus. Tremenda, quæ gerimus, nulla mentis discussione revolvimus: sed quemadmodum

(1) Oseæ c. 10. v. 11.

dum si quis mecanicæ artis exerceat officium, Sacerdotale complemus opere Ministerium. Materia hæc potius est apta lacrymis, quam digna sermonis.

Quamvis autem ob densam mentis caliginem debitæ sanctitatis proportionem altius solito agnoscere non valeamus; tamen per illuminatæ rationis instinctum, quod (1) *mentis* dicitur *habitus per omnia conveniens veritati*, investigare possumus. Optime nostis, quoniam omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Legistis Leviticum, nihilominus legistis & Exodum. Ibi vidistis quam peregrinam sanctitatem exegerit Deus ab illis Sacerdotibus, qui, medullata holocausta cum incenso arietum Domino sacrificabant, atque carnes taurorum, & hircorum sanguinem offerebant. Passim legimus ad eos specialiter intimari: *Sacerdotes Sancti erunt Deo suo*: *Sacerdotes Sancti incensum, & panes offerunt Deo*: scriptum erat in lamina frontis ex auro: *Sanctum Domino*: in rationali: *Doctrina, & veritas*: in Sacerdotalibus ornamentis expressa erat præcipua sanctitas. *Sacerdos non egrediatur de Sanctuario, ne polluat nomen meum. Mundi estote, qui fertis vasa Domini*; & multa alia leguntur, quæ sub mortis pœna intimantur. Legistis quot malluvia, quot purificatoria illi Sacerdotes habuerint, priusquam accederent ad offerenda Sacrificia, & quam scrupulosa atque minaci simul expressione jubeatur sanctitatis.

(1) Ex Phylosoph.

tis, & munditiæ cordis custodia. Ad quid hæc toties repetita, & comminatoria intimatio de sanctitate ad Sacerdotes, animalium carnifices, vel occisores, qui aras ad ibant in holocaustis manus habentes plenas sanguine de Sacrificiis? Ad quid hæc admodum scrupulosa sanctitas in iis, qui in veritatis figura offerebant carnales hostias? O Fratres mei! si in figura tanta sanctitas, quam sanctitatem requiret veritas! Quæ cordis munditia, quæ sanctimonia in his, qui Sacrificium offerunt, in quo nulla Legalis hostia, sed ipse Christus est victima? Hæc secum Sancti, sicut oportet, animo revolventes concepto stupore timuerunt, atque Presbyterale munus pro viribus suscipere recusarunt. Nam si hæbraici populi Secerdotes, qui tauros, & hircos, hædos, & agnos legaliter immolabant, assidua comminatione sanctificari jubentur, perspicuum est altioris excellentiæ sanctitatem a nobis expeti, cum Sacrificium, quod offerimus, differat a Legali victima, quantum differt veritas a figura. De illis antiquæ Legis holocaustis scriptum est: (1): *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Igitur si in offerentibus illa Legis holocaustomata, tam miram sanctitatem requirebat Littera, consideret charitas vestra, quam vitæ sanctimoniam requirat gratia. Corpus, & Sanguinem Domini

(1) Psalm. 49.

nostri Jesu Christi conficimus: Filium Dei Unigenitum, per quem facta sunt omnia, non figuraliter, sed veraciter offerimus. (1) *Quo ergo solari radio non oportet splendidiorem esse manum Agni immaculati carnem dividentem, os, quod igne spiritali repletur, linguam, qua tremendo nimis sanguine rubescit?* Quæ morum integritas, quæ vitæ puritas, quæ sanctitas ornare non debet animum offerentis terribile Sacrificium, quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem? Si jussum est introduci de filiis Israel pueros nobiles, decoros formâ, in quibus nulla esset macula, & eruditos omni sapientia, & doctos disciplina, qui possent stare in palatio Regis profani, quanto magis decoros formâ virtutis oportet esse eos, qui ministrant in conspectu Dei viventis? (2) Qua virtutum claritate irradiare non debet vita Ministri, cum minister ipsa sit Arca Testamenti? Qua sanctimonia splendere non debet anima sacrificantis, cum Tabernaculum Dei viventis sit anima Sacerdotis? Vere etenim cum serio mecum recogito quam sanctitatem a nobis Deus exigat ex officio, & oculos ad nostræ indebitæ conversationis extravagantiam converto: pili meæ carnis horrescunt, atque ossa mea terrore concussa contremiscunt. Quod si verum fatear; quoties venit in mentem sublimitas Dignitatis, toties invadit quædam affectio timoris,

quæ

(1) Joan. Chris. hom. 60. ad popul. Antioch.
(2) Daniel. cap. 1. v. 3.

quæ etiam compellit, ut somnus recedat ab oculis meis. Væ nobis miseris! nos quia passionum nubibus obscuratum patimur intellectum, neque perpendimus congruum, quod res expostulat, institutum, neque sicuti debemus, æstimamus officium. Nostram distrahit mentem visibilium rerum figura: nostros rapit oculos ad se trahens falsaria sæculi scena, & nullus est, qui fœtum concipiat de sanctitate, quia nullus est, qui recogitet corde: sicque vitæ seriem traducimus agentes secundum propriæ voluntatis propositum, ac si quædam esset hyperbole phrasis Scripturarum. Peregrinam sanctimoniam, fratres mei, Sacerdotale requirit officium. (1) Quod *si quemadmodum affectus sum, ac sentio loquar, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. In causa est, quia res excelsum requirit animum, & innumeris, ut dicitur, oculis illis est opus undique*. Innumeris oculis opus est Sacerdoti, nequa vel levis umbra sinistri affectus, vel etiam species delicti, excelsæ, quæ exigitur, obstruat sanctitati. Ipse utique quatenus tali, ac tanto insignitus honore, qui terribili fungatur officio, atque ex hominibus assumptus, ut serviat Tabernaculo, homo Dei dicitur ab Apostolo (2). Ille homo Dei est, qui veteri cum suis actibus penitus spoliatâ novâ induitur creaturâ procedens homo, qui secundum Deum creatus est in veri-

 tate

(1) Joan. Chrisost.
(2) In epist. ad Tim. 1. c. 6. v. 11.

tate, & justitia. Ille est, qui subiugatâ jam carne per exercitium, atque obtentâ virtute per habitum totus trahitur in odorem illarum delectationum, quae in dextera Dei sunt, atque in sublime evectus ut aquila hanc corde deserit regionem infimam dicens cum David (1) *quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Ille est, qui conversâ oleastri naturâ per sui abnegationem floret sicut oliva fructifera in domo Dei redolens suavitatem. Et, ut brevi sermone comprehendam, ille est, cui comes est clara scientia, sancta vita, & bona fama. Hæc tria simul, fratres charissimi, a nobis exigit Sacerdotalis ratio Ministerii. Ecquidem melius erat Presbytero, si oculos, pedes, & manus non habeat, quam si his simul tribus carere contingat: quia debitæ justitiæ formam repellit, Deo, sibi, & populo malum inferens, si inventus sit minus habens. Ab eo exigitur clara scientia, secundum quod scriptum est: *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Unde extat illud a Patribus: (2) *Illitteratos nullus Episcoporum promovere præsumat, quia litteris carens non est aptus officiis.* Ipse namque ab Isaia doctor dicitur parvulorum, quia ex ipsa officii natura tenetur populis Evangelicæ doctrinæ suppeditare pabulum. Docent nihilominus Deuteronomium, & Evangèlium Sacerdotem habere interloquutoris officium. Quod si ad

(1) Psalm. 72.
(2) In jure Canon. dist.

ad obeundas hujus muneris partes scientiâ carere contigerit, quomodo iniunctum sibi Ministerium implere poterit? Idcirco ei, qui scientiæ copiam, & Scripturarum noluit profiteri peritiam, comminatur Dominus per Prophetam: [1] *quia repulisti scientiam, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. Requiritur insuper sancta vita, quia Sacerdoti peculiare est sancta tractare Mysteria. Neque ad hæc digne, sicut oportet, agenda quælibet sufficit sanctimonia: nam sanctitas offerentis cum sanctitate victimæ salutaris debet servare modum debitæ proportionis. Passim clamitant Scripturæ: *Sanctificamini, qui acceditis ad Altare in conspectu Domini*. Ad communicantes vero solummodo dicitur: *Probet autem seipsum homo*: Igitur in sacerdotibus virtutum quæritur eminentia. In laicis autem sufficit sola justitia. Ipse etenim Presbyter discrimen patitur, si de sancta vita periclitetur: nam si terribile Sacramentum non inveniat in sanctitatis proportione Ministrum, retinet saltem devotionis effectum. Cumque Christus ex ore ejus incipiat evomere recipientem, tunc pedes suos miser inclinat in perditionem. Valde ergo timendum est, fratres mei charissimi, ne illa sine sanctitate, qua florere debemus, ad offerendum Domino sacrificium audacter accedamus: nam debita sine sanctitate accedere ad Sacrificium, temeré tentare est contra Dei debitum cultum, &

cor-

(1) Oseæ cap. 4. v. 6.

contra professionis nostræ propositum in animæ detrimentum.

Sacerdos (1), cum sacro unctus est oleo, *duas res professus est & sanctitatem, & Sacerdotium. Sanctitatem propter se*, Sacerdotium propter populum suum Deus instituit. Absit, fratres mei, ut solâ justitiâ Ministerio respondere posse credamus, nisi jugiter sanctitatis comes sit virtus. Alia est justitia, & alia est sanctitas, Sanctitas sine justitia non est. Justitia vero esse potest sine sanctitate. Justitia in actu consistit: justificatur enim anima peccatoris ex actu contritionis, vel charitatis. Sanctitas vero non sic: nam sanctitas consistit in habitu. Hanc habet homo a diuturno virtutis exercitio. Potest peccator in ictu oculi justificari, sicut justificatus est David unum tantummodo verbum dicens in confessione, & latro similiter clamans in Cruce. Attamen ut quis sanctus evadat, opus est tempore. Transiens qualitas simplex justitia dicitur: sanctitas autem successiva, & non interrupta justitia est. Justitia, & si bonum ab integra causa, tamen virtutum praxim non habet: sanctitas vero quædam est eminentia virtutum habita per exercitium, atque spiritualium simul opulentia bonorum obtenta per habitum. Hæc eminentia, hæc opolentia, hæc sanctitas a nobis exigitur, fratres mei dilectissimi. Neque leve, ut ita dicam, discrimen patitur anima, si nos, qui tremenda gerimus, comitetur sola justitia.

Hæc

(1) S. August.

Hæc quidem pertinet ad ſæculares. Sufficit eis ad habenda promiſſa ſervare mandata. At nos, qui Dei omnipotentis Sacerdotes ſumus, & tremendæ Majeſtatis Atria frequentamus, ultra venire, longe diſtare debemus. Magna revera confuſio juſtiores, & fideliores laicos inveniri, quam Clericos: qui ſi, quemadmodum laicis Dignitate ſuperant, ſanctæ vitæ inſtituto non præcellant, cum ante Tribunal Chriſti ſteterint, audient, quod dicit Scriptura: Aufer *cidarim*, *tolle coronam*. Hanc longam vitæ diſtantiam figuraliter exprimit eadem Scriptura. Duo namque fiebant in lege veteri Sacrificia, oblationem ſcilicet, & holocauſtum. In oblatione is, qui offerebat, animalis oblati partim ſibi reſervabat. In holocauſto autem totum animal ignis comburebat. Per oblationis Sacrificium exprimitur vita laicorum, qui ſalvâ juſtitiâ neceſſariam curam exercent temporalium. Per holocauſtum vero ſanctitas Sacerdotum, qui, ut extat a Patribus (1), *abjecta omnium terrenarum rerum curâ uni Deo prorſus vacare debent*. Nihil eſt, fratres mei, quod quis erroneam illam ſententiam jactare præſumat: ſufficit nobis honeſtè vivere, & animam a mortifero ſcelere reſervare. Incircunſpectæ hujus temeritas opinionis, quæ hodie in Clero prævalet cum injuria Sacrorum, & prævia ruina ſequacium, longe ſit a cordibus Sacerdotum, qui ſpeciali debent præcellere ſanctimonia, quoniam per ma-

nus

(1) Ex Decreto S. Sylveſtri P. P.

nus eorum offertur Nomini Sancto Dei oblatio munda. Non est ergo, charissimi, dicere: teneatur norma communis: sufficit vita, quæ vulgo dicitur ordinaria, vel media via: quia secundum significantiam Scripturarum in vita Sacerdotis non datur medium. Duos ficorum calathos ad portam Templi vidit Jeremias [1]: in altero vidit ficus bonas, bonas valdé: in altero ficus malas, malas valdé, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. Hunc Scripturæ locum sacri Interpretes illustrantes ajunt, mediam non dari viam in iis, qui Tabernaculo deserviunt. Unde Presbyter vel optimus, vel pessimus. Hujus rei veritas, quæ ex Jeremia (2) congruenter accipitur, nihilominus ex Apocalypsi manifesté comprobatur: ait enim Angelo Ephesi, id est, Sacerdoti, is, qui tenet septem stellas in dextera sua *: scio, quia patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Magna, & mira sententia, fratres mei, & quidem formidanda comminatio iis, qui mediâ viâ contenti ab illa distant sanctitate, quæ exigitur a Sacerdotio. Væ nobis! Si adversus Sacerdotem, qui charitatem habet, sed non primam, formidabilem pro-

fers

(1) Jerem. cap. 24. v. 1.
(2) Cap. 2.

ſert Judex ab ore ſententiam, quam ſententiam dicet adverſus eos, qui carentes omnino ſucco debitæ charitatis, nebuloſa poſſident corda gradientes per anfractum mundanæ converſationis? Quam audient ſententiam hi, qui nulla, vel breviſſima, vel indevota ante Miſſam habitâ conſideratione Sacrum rapidâ linguâ, feſtiniſque motibus accelerantes tremendum excoriant Sacrificium intra duodecim minutorum ſpatium, ſtatimque planetâ depoſitâ, atque vel momentanea, vel nulla gratiarum actione intermiſſâ habitum nimis cultum, & nitidum induentes adhuc rubeſcentibus labiis pretioſo ſanguine Salvatoris egrediuntur foras, vel ut exerceant mercaturas, vel ut viſitent fœminas, vel ut celebrent conventiones iniquas, atque ſolutâ penitus modeſti pudoris habenâ per calles laſcivientes, in foro deambulantes, ſæcularia negotia mundialiter agentes, in ludis, in jocis paſcentes ventos, & ſequentes aves volantes? Ubi facilè reperietur, qui his vitiis, vel ſimilibus involutus non teneatur? Hujuſmodi Clericis plena eſt terra, & rara avis qui ſervatur immunis. (1) *Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt. Qui optimus eſt in eis, quaſi paliurus, & qui rectus quaſi ſpina de ſepe*. Optimus eſt hodie qui non eſt nimis malus.

Ad Eccleſiaſticos ait Chriſtus: *vos de hoc mundo non eſtis*. Sed quomodo hæc ſententia ad eos referenda eſt, qui cum de-

(1) Michææ c. 7.

dedignentur crucem ſuam tollere, & venire poſt Chriſtum, dum mundi profana ſequuntur, gloriantur patrem habere diabolum? Qui de mundo non eſt, quæ ſunt de mundo non cogitat: ſecundum carnem non ambulat: ſed ſuperna ruminat, ſemper vigilat, inceſſanter orat, jejuniis corpus extenuat, atque carnem ſuam crucifigens cum vitiis tota eius converſatio in Cœlis eſt. Non litigat, ſed pacem cum omnibus habere curat: non incumbit politicis rebus: non implicat ſe negotiis ſæcularibus: non diſputat de præfecturis, ſed ab omni ſenſibilium rerum affectu illibatam ſervans cuſtodiam cordis, ut Angelus in carne, ſive homo ſine carne vivit in terris. Ecce qui de mundo non eſt, fratres mei. At ubi quæſo, poſſumus invenire Presbyterum, qui hujus vitæ, ſicut oportet, ſervet inſtitutum? Procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Utinam ex centum Sacerdotibus inveniatur unus, qui hanc Dignitati congruam vitæ rationem, ad quam tenetur, ſtudio proſequatur. Sed o quam pauci ſunt, qui de mundo non ſint! Utinam ſolam tertiam partem ſtellarum, & non reliquum multitudinis poſt ſe traheret robuſta cauda draconis. Sed vix invenietur ullus, qui non habeat characterem beſtiæ, & adoret imaginem ejus. Apparent mundo Sacerdotes in copia, quorum inverecunda in contrahendis exceſſibus arrogantia, atque efferata morum licentia teſtimonium perhibent Sacros Ordines obtinuiſſe, ut pejores vive-

verent ; atque petulantius quam cum laici pudori fræna laxarent. Passim occurrunt Sacerdotes, quorum incessus, exterior cultus, multiplicitas negotiorum operosa mundialium rerum solicitudo, irrequieta Dignitatum ambitio, quotidiana in obeundis civilibus relationibus occupatio, distractæ vitæ turbulenta confusio, gyrus denique viarum suarum aperté innuunt non esse nisi quandam fabulam Evangelium. Sanctuarium frequentant, non nisi in quantum ab eo lucrum reportant. Ab eis Ecclesia accipitur, non ut locus, quo cultus Deo digné, & laudabiliter deferatur, sed ut telonium, vel mensa, qua occasionaliter eorum fames avara nutritur. Pro redditibus agonizant: pro præferentiæ gradu obtinendo die, ac nocte laborant: de anima vero sanctis moribus ædificanda parum, vel nihil curant. Tinea quæ eorum corda corrodit, ignis est, qui nunquam dicit: sufficit: sed affer, affer: ut in auratis curribus, in equis strenué phaleratis, in serventium copiosa turba, in opipara mensa, in luxuriis, in regio domus apparatu, in extollendo nepotum catervam, in sectando mundi figuram, vel quod deterius est, in alendo concubinam patrimonia pauperum, & pretia peccatorum expendant. Ipsi sunt primi ad coacervandas operoso conatu pecunias ad sæculi pompas, ad mundi delicias, ad carnis illecebras, donec videantur Clerici longe multo deteriores quam sæculares.

Proh dolor! Sacerdotes Miniſtri Dei, qui coram plebe poſiti ſunt in exemplum, in quos velut in ſpeculum Laici oculos coniiciunt, a mundi ſpiritu miſerabiliter occupati facti ſunt hodie populis in ſcandalum, in miſeram ſtragem debilium, atque in ruinam puſillorum. Ipſi ſunt, qui proiicientes poſt tergum ſui muneris partes intermiſcent ſe rebus, quæ etiam alienæ ſunt a ſæcularibus officium arripientes diabolicum turbandi Chriſtianæ pacis concentum, dum quietis impatientes, atque irrequietæ diſſenſionis amantes, garruli, & vagi de domo in domum, de corona in coronam, de coquina in coquinam diſcurrentes ſedent adverſus fratres violantes famas, atque inſtar ſuſſurronum non verecundantur inter familias diſſeminare diſcordias cunctis detrahentes linguâ mordaces non jam filii ſcorpionum, ſed genimina viperarum: e quorum ſacrilegis obloqutionibus odia, rixæ, & inimicitiæ ſuſcitantur, quæ non facile extinguuntur. Omnia critizant, de omnibus murmurant, alienas domos gubernant, qui ſuam bene regere ignorant, e quibus cordium revolutiones oriuntur, atque fraternæ dilectionis fœdera diſſipantur. Quæ tantorum malorum cauſa? Multorum Clericorum peſtilens lingua. Utinam abſcindantur, qui turbant quietem: nam homines peſtilentes diſſipant Civitatem. Ipſi ſunt, qui uxorem non ducunt, & matrimoniales conventiones faciunt, juvenum nuptias componunt, & diſponunt intromit-

mittentes se in his, quæ in Sacerdotalis Officii dedecus cedunt. Ad quid, Clerice, hæc tibi occupatio indecens, incompetens, & aliena, cui solummodó debet esse comes oratio, & cordis custodia? Quid tu his rebus inhæres, qui debes potius ad virginitatem hortari, quam ad copulam matrimonii? Ipsi sunt insuper, qui seditioso spiritu exagitati vel propter mundi respectum, vel propter turpe lucrum de parvis, minimisque rebus suscitant lites. Acceptâ levi injuria, vel levi damno in substantia, vel quia jus idealiter apprehendunt ad ea, quæ in rigore justitiæ spectant ad proximum, ad Tribunal festinanter accurrunt captantes animos hominum, ut prosperum possint habere litigium. Rapta prorsus a litigiosis speciebus eorum mente dies, noctesque in civilibus exequendis insumunt, non attendentes, cum celebrant, ad Sacrificium, neque intendentes, cum recitant, ad Breviarium: sed totus eorum sermo de Actibus, de Fiscali, de Advocato, de Processu: neque nisi de litibus loqui possunt, neque sine lite pendente vivere queunt. Unde lites in vobis, o Clerici? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Diligitis lites, & contentiones, quia carnales estis, & spiritus in vobis non est. In vobis prævalet concupiscibilitas, atque irascibilitas soror ejus. Cum illa id, quod ardenter appetit, non adipiscitur, irascibilitas soror ejus irascitur, atque ob incrassatam passionem rationabilitas non

attenditur. Apostolus docet vos: *servum Dei non oportet litigare, sed cum omnibus pacem habere*. Ad Sacerdotes, & consequenter ad vos hic sermo est, si vos jam servi Dei non sitis, sed carnis, & filii amaritudinis, quos genuit Balberith spiritus dissensionis. Legistis saltem in Missali: Jesu Christi Evangelium: si quis tecum contenderit volens tibi tollere tunicam, dimitte ei, & pallium, hoc est, dimitte majora, & lites, & quæ inde oriuntur, devita: nam cordis pax super omnia. Sed de cordis pace nihil curant, qui dum in carne militant, secundum carnem ambulant. Cordis pacem habere contemnunt, quia secundum carnem vivunt, dum non solum litigiis inserviunt, sed projecta sui muneris sarcinâ super humeros suos sæcularium negotiorum molem imponunt: terrenas administrationes, commissiones, & testamentorum curas assumunt. His alienis functionibus miserabiliter implicati totum extrahunt diem in scribendo epistolas de agendis negotiis, in apponendo annotationes in Rationalibus libris, in faciendo per numeros ratiocinium more computistarum, atque in celebrando cum Laicis fœdera conventionum: quo fit, ut negotiorum turbine convoluti, commissionibus irretiti, administrationibus immersi, atque externarum rerum occupatione distracti peculiare officium vel dimittant, vel negligenter agant, vel festinanter absolvant, vel rapta mente in diversa percurrant. Æstimantes tamqua

se-

ſecundarium Sacerdotale Miniſterium in evacuandis mechanicis rebus totum tempus inſumunt: de officio autem, quod eis ſpecialiter competit, ſæpiſſime accidit, ut horâ ante mediam noctem incipiant ab hymno *Jam lucis orto ſidere*. Quid tibi cum mundo, dic, Clerice, dic, Sacerdos, qui teipſum totum pro te, & pro toto mundo offerre debes ad Sanctuarium placabile ſacrificium, & ſtare in conſpectu Dei, ut avertas indignationem ſuam, ne perdat animas impiorum? Quid tu, cum filia miſera Babylonis, qui frequentas Atria Dei Viventis? Quid tibi cum ſæculi quæſtionibus, quibus renunciaſti? Quæ conventio Sanctuarii ad ſæculum? Deus, & Dagon in uno ſimul Altari eſſe non poſſunt. Ergo in ventum locuti ſunt Patres noſtri, cum declaravere dicentes: (1) *Sacerdotes abjecta omnium terrenarum rerum curâ ſoli Deo vacare debent*: & alibi: *Sacerdotes teſtamentorum curam non ſuſcipiant, ſed omni mundialium rerum occupatione poſtpoſitâ die, ac nocte lectioni, orationi, & verbo prædicationis vacare debent*. (2) Illud in memoriam revocare oportet, quod Miſſas celebrari prohibuerint pro animabus eorum, qui Clericos teſtamenti exequutores deſignarunt, quatenus eos ab Altari avocare præſumpſerint. Igitur, ſi Miſſas celebrari prohibuerunt pro his, qui Clericos fidei commiſſos deſignarunt, itidem celebrari non debent pro defunctis Presbyteris, qui has ſæculi curas ſuſceperunt, quia ab

 Al-

(1) Ex Decreto S. Sylveſt. P.
(2) Ex Concilio Carthagin.

Altaris officio seipsos avocarunt. Quid turpius, quid magis dissonum, quam qui soli Deo militare debent ratione Dignitatis, se terrenis, & saecularibus immiscere negotiis? Melius erat illis non suscepisse Sacerdotis officium, quam post susceptum apostatare deserentes institutum. Sacerdos, qui Sacerdotio congruam vitae rationem non servat, si non formaliter, interpretativè saltem apostata dicendus est.

O misera Clericorum perditio! Fascinante mentes eorum malesuadae carnis ratione speciosa, quam variis componit coloribus opinio falsa, atque exturbante synderesim cauteriatâ conscientiâ rerum ordinem cum pietatis injuria convertunt, atque divinae rationi sua jura negantes cum profanis sacra confundunt. Pretiosum a vili separare nescientes profanant Sanctificium, dum ita saeculi fallacis auram sitienter ambiunt, ut avidius, ardentiusque laicis diligant mundum. Levate oculos, fratres dilectissimi, & considerate semitas Clericorum, & videbitis in populo Clericos tamquam sydera errantia huc illuc discurrentes ab indisciplinata passionum turba raptos in diversa. Cogitate gressus eorum, & renunciate mihi, si addictius inhaereant saeculo saeculares, quam Sacerdotes. Effusi sicut aqua gradiuntur per plateas facientes bullas: dumque dissipato corde per mundi delectabilia vagantur, non jam Sacerdotes Dei, sed cultores saeculi convincuntur. Heu miseris! Odio habentes solitudinis lo-

locum, deteſtantes orationis cubiculum, atque deſerentes Sanctuarium ad mundi inania operoſo conatu facilia corda convertunt, atque animum ad vitia blanda ullo ſine caſti timoris affectu ardenter inducunt. Videmus Clericos omiſſis Evangeliis, & Prophetis, contemptiſque libris opportunæ doctrinæ pro novellis vulgo *Gazzetta* gentiliter agonizare. Mortali erga ſpiritualia faſtidio affecti, atque canina fame audiendi nova raptati in die adventus curſoris currunt de domo in domum, de platea in plateam, de corona in coronam quæritantes quid novi in Aulis Principum, vel quæ ſint recenter acta in terris Nationum: quod quidem non ſolum eſt curioſæ affectionis argumentum, verum etiam ſæcularis animi teſtimonium, & diſſipati cordis indicium. Quæ ſurſum ſunt, quærite, non quæ ſuper terram, ait Apoſtolus: præſertim Sacerdotes, quorum converſatio eſſe debet in Cœlis: quos oportet non præſentium, ſed notitiam inquirere futurorum. Quid ad te, ſi Cæſar cogitet arma parare? Si Princeps Turcarum Perſas debellaturus velit copias immittere? Quid ad te politica inveſtigare commercia, quærere de militia, & diſputare de terreni regiminis forma? Quid ad te de præliis quæſtiones revolvere, atque de rerum caſibus cum ſtomacho concertare, qui Cœleſtium rerum debes haurire ſapientiam, atque ad viam beatitudinis ineundam cœteris aperire notitiam? Deſine ventos paſcere, & noli poſt aves volantes currere. Sed o quanto

to dignum dolore Clericos neglecto Sacrarum Litterarum studio profanas fabulas, & comoedias legere! Sunt Clerici (quod quidem pudet dicere) qui vix norunt discernere Symbolum, vel saltem ignorant Missae ceremonias, attamen optime norunt per partes exprimere, & quandoque (quod turpius est) repraesentare comoedias. Est plurimis familiare vitium frequenter adire theatrum, ubi per oculos conceptâ formâ a repraesentante figura adversus interiorem hominem armantur appetitus, insurgit desideriorum exercitus, atque passionum impellente vigore fit in corde tumultus, specierumque vivacitate confusa mente rapitur animus. Ibi ad excitandam lasciviam gerunt foeminae, ornatu meretricio compositae, motus inverecundos, saltus immodestos, gestus impudicos, cantus amatorios, salaces nutus, atque ita elegantulam praeseferunt formam, ut ad hujus ignis voracem flammam etiam frigida senectutis pectora calefiant. Ibi ab specie pulsante carnis potentias irrequieto pruritu spiritus animales ebulliunt. Ibi amandi artem spectantes ediscunt, atque peractâ scenâ revertuntur in domum exaltatae carnis patientes incendium. Quid ergo turpius, quid indecentius, quid periculosius, quam discipulus Christi in schola diaboli? Quem motum, quaeso, in carne percipit Sacerdos Omnipotentis ad conspectum puellae saltantis, & ad dulce melos incantatricis? Quem sentit affectum ad lepidé petulans verbum histrionis? Quis tam foelix,

lix, qui ad motus fœminæ provocantis a morosa saltem delectatione servatur immunis? Solus ille audebit asserere hujusmodi videri posse sine cordis ruina, qui nescit quam vigorosa sit carnis potentia. Et tu, Clerice, qui etiam a levitatis umbra cor mundum servare debes, ad theatrum convenire non times? Tu, qui non solum baptismi pacto, sed etiam Sacerdotii instituto satanæ renunciasti, & omnibus pompis ejus, abjectâ gratiâ libertatis iterum satanæ servus adscriberis? Theatrum, forsitan dices, indifferens est. Quomodo in theatro dari potest indifferentia, cum in re personetur intrinsece mala? Quis dicat indifferens esse theatrum, in quo omnimodé carnis suscitatur incendium, & ex quo carnales cogitationes ebulliunt, quæ cor ad carnis desideria potenter impellunt? Etiam si indifferens esset, tamen a theatro debet abstinere Sacerdos, quia ratione instituti non solum abstinere debet a malo, sed etiam ab iis, quæ habent speciem mali (1). Non debet domum risus adire Sacerdos, qui orandi, & flendi suscepit munera, neque cor debet ad sæculi convertere gaudia: ibi enim cor stultorum, ubi lætitia. Risum Sapiens errorem reputat, & gaudio dixit: *quid frustra deciperis?* (2) Curiositas ergo, scurrilitas, risus, & his similia ab Ecclesiastica abhorrent regula. Demiror quidem profanos Clericos, qui vilissimé computantes sublime sui Ordinis institu-

tum

(1) D. Thom. de negot. Clericor.
(2) S. Ambros.

tum ad mundi ſpectacula, ad hujus vitæ delicias, ad ſæculi oblectamenta corda convertere non horreſcunt immemores illius, quod ſcriptum eſt: *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum* (1). Et Chriſtus ait: *væ, qui ridetis nunc!* Attamen Clerici ſeductivâ carnis opinione traducti lubrica, quæ ſequuntur oblectamenta juſtificant ſpecioſo baptizantes ratiocinio, quæ nocent animo, quo paſſionibus ſemel imbuto haud facilé credunt auditui noſtro. Affectionibus occupati tradunt Sanctorum verba deſpectui, & inverſa jam a paſſione recté ſentiendi formâ tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui.

O fratres mei! nos Miniſtri Altaris, nos Sacerdotes Omnipotentis, qui ad placandam divini furoris iram inter veſtibulum, & Altare plorare debemus, accurrimus in domum riſus? Nos, qui ſpecialiter divino cultui dicati ſumus, Sacris valere juſſis deſerimus Templum, & venimus in theatrum? Væ nobis miſeris! nos, qui ut ad debitam ſanctitatem, quam Officii munus expoſtulat, pervenire poſſimus, cordis cuſtodiam, & orationis inſtantiam prætermittere non debemus, animum per fallax ſæculi choragium effundimus, & cor per nociva mundi gaudia contempto Domino diſſipamus. Ubi non eſt ſepes, hæreditas diripietur. Idcirco quia Clerici ſuper exteriores ſenſus non vigilant, atque de cordis cuſtodia nihil curant, facti ſunt

(1) Apocal.

ſunt ſicut columba ſeducta non habens cor quietis impatientes, garruli, & vagi, loquaces, & blaterones totam animam effundentes per linguam, atque rationi, modo, & prudentiæ parantes injuriam. Tamquam arundines vento agitatæ, tamquam fluctus feri maris circumcurſare videntur per vias, vicos, & plateas ſpumantes confuſiones ſuas. Liberos dimittunt oculos, quo fit, ut animam rapiant obiecta per ſenſus: nam cor per oculos a figura, quæ in mundo geritur, facilé rapitur. Sed quia parum cauté procedunt, cor ſequitur oculos Clericorum: nam dum gyrant ſine fræno vagantes, per varias ſecundum diverſas paſſiones rapiuntur ſpecies. O fratres mei! dum in oculis eſt libertas, non poteſt in affectibus eſſe ſecuritas. Hevam oculi perdiderunt: perdiderunt & Dinam. Filii Dei, quia viderunt filias hominum, quod eſſent pulchræ, aquis dilüvii deleti fuerunt de Libro vitæ. Oculi perdidere Regem Prophetam in ſanctitate gygantem. Perdiderunt oculi Salomonem: Alienigenarum mulierum incauta viſio ſapientem apoſtatare fecit, dum Deo debitum cultum negavit, & demoniorum ſimulacris tribuit. Sanſon, dum oculos habuit, fortitudinem perdidit: amiſſis oculis priſtinum robur recuperavit. Oculos habens incidit in capturam: cœcus autem obtinuit victoriam. Quis ſupputare poterit numerum perditorum, quos oculi perdiderunt? Quod ſi ex iis nonnulli in ſe reverſi per pœnitentiam purgarunt animam

a li-

a libertatibus oculorum, tamen non omnes ad hanc gratiam pervenire meruerunt. Nihil nequius oculo, dilectissimi: ab oculo enim, dum non cauté custoditur, anima deprædatur. Quid in Clero peperit mala? Oculorum licentia, quam filiam gignit cordis incuria. Idcirco quia oculorum libertas immodesté in Clero grassatur, & cordis custodia similiter non habetur, Clerum plerumque videmus a justitiæ semitis Laicis longius abesse, atque in morum corruptione ad gradum pessimum descendisse. Omne malum a sensuum libertate sumit initium: e contra sanctitas a solicita sensuum custodia sumit exordium. Quare ergo defecit sanctus? quia liberé vagatur sensus. Non servatur a Clericis cordis custodia, neque adhibetur super sensus debita vigilantia, sed sola prævalet cum virtutis iniuria facilis lingua, & oculorum effrænata licentia ita, ut multi ex Clericis, qui ratione officii omnium virtutum genera profitentur, loquaciores, & curiosiores fœminis inveniantur. Idcirco cor durum patiuntur, erga spiritualia remissum, gelidum, paraliticum, aridum sine succo devotionis, sine affectu virtutis, sine ardore pietatis super Angelico pane nauseam subeuntes, & sola Ægypti olera concupientes. Hæc omnia Clericis attulit mala mentis evagatio per sensus, & cordis incuria effusi per appetitus.

Propterea in Clero sapientia devorata est, sed & scientia Dei vix invenitur in eo. Utramque fugavit avara cupiditas,

atque

atque incircumſpecta vivendi libertas proſtravit animas ſuas. Idcirco æmulari non cogitant chariſmata ſanctitatis, quia rapuit corda eorum filia miſera Babylonis. Depravatis moribus, turpi vitâ, turpi quæſtu, ſcandaloſo faſtu abundat Clerus, fratres mei; & multi ex eo neque Sanctorum verbis a turpitudine continentur, neque flagellis emendantur, ſed quia perverſi, difficilé corriguntur. Ad te, Domine, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, clamamus humiles in oratione ennixé precantes, ne effundas iram tuam ſuper miſeros peccatores. Injuſté egimus, & voci tuæ non obedivimus, cum neque officio debitam ſanctimoniam, ſed neque juſtitiam apprehendere cogitavimus. Profanavimus Sanctuarium evertentes iniquis moribus teſtamentum tuum. Ullo ſine timore futuri ambulavimus vias difficiles ſecundum pravitatem cordis noſtri mali. Nunc autem cogitantes vias noſtras convertimus pedes noſtros in teſtimonia tua. Peccavimus, Domine; ſed ecce ipſi nos reprehendimus, & agimus pœnitentiam in favilla, & cinere. Reſpice tu de Cœlo, & erue nos a delicto, ut ſine ceſſatione per ævum confiteamur Nomini Sancto tuo. Tu, qui Sanctus, dulcis, & ſuavis es univerſis, ſanctifica Sacerdotes, ut non jam amplius in Dei Templum inferamus delicta, ſed diebus, ac noctibus extollamus manus noſtras in ſancta, donec ſimul cum quatuor Animalibus cantemus canticum novum per infinita ſæcula. Amen.

QUARTA DIE

Hodie servatur Jejunium.

ORATIO PRIMA IN MANE.

O Tu, Domine, cujus voluntas suâ non potest benignitate privari, cujus charitas infinita, cujus pietas immensa, & cujus miserationum abyssus multa, respice de Sede sancta tua, & cogita de me. Ecce homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Misera facta est anima mea, & deficiente spiritus animosa substantiâ sine vigore desuper contabescit in ærumna. Nihil in me video, nihil sentio, nisi concupiscentiarum legem in carne mea, & vigorosos impetus ad perpetranda mala. Rapere me volunt rebelles impulsus ad perficienda seditiosæ carnis desideria. A variarum specierum figura inferioris portionis agitatâ potentiâ, atque passionum impellente vigore fit tumultus in anima, concertatio periculosa, cordis irrequieta turbatio, atque interioris hominis turbulenta confusio. O quot, & quanta patitur anima mea, Domine! Et in tanto conflictu, in angustia tanta omnino deficiente spiritus succo factus sum tanquam lignum aridum in eremo sine virore virtutis in tempore siccitatis. Facta sunt viscera mea quasi mon-

montes Gelboe, quia nec ros, nec pluvia venit super me; sed sola animæ desolatio, mentis ariditas, cordis amaritudo, virtutum extrema nuditas, atque devotionis summa paupertas. O me miserum! Hæc omnia mala venerunt super me, quia in me abjectus est clypeus fortium, & in me ceciderunt fortes Israel. Abjectus est clypeus, qui est timor Domini, cum ullo absque timore futuri in tuæ Majestatis offensam scelera perpetravi. Ceciderunt in me fortes, dum in carnis obsequium contempsi rationis nutum, & elegi vias iniquitatum liberum depravans arbitrium. Idcirco prohibiti sunt Cœli, ne pluant super terram, & ne rorent desuper super sitientem animam. Hinc est, quod in hac die aruit tamquam testa virtus mea ullo sine sapore erga spiritualia, & ullo sine affectu erga virtutis opera. Si orem, oratio insipida mihi est, atque interdum vado ad orationis locum quasi tractus ad equuleum. In tempore orationis intus in corde sentio duritiem silicis, vel naturam imitor adamantis. Servare mandata gravi sine pugna non est. Tantummodò sentio ad inordinatos actus quasi præcipites carnis impulsus. Non est in terra cordis mei humor junci, neque viror calami, sed ariditas sine affectu, & sterilitas sine fructu. Quid faciam, miser, cum videam Cœlum desuper ferreum, & terram æneam! Da benedictionem Pater, quia terram arentem dedisti mihi: da & irriguam aquis. Da irriguum superius,

irriguumque inferius concede roganti; ut non jam quid valeat locum tribuere dolori. Da capiti meo aquam, da flumina lacrymarum, & in gemitu sine cessatione laborans lavabo per singulas noctes lectum meum. Si tu retinueris aquas omnia siccabuntur, neque erunt fruteta in campis, quæ fructus facere valeant: si vero effuderis, subvertent terram. Effunde igitur super me misericordiam tuam, illam mundam aquam de supernis fontibus, qua corda purgantur ab omni inquinamento carnis, & spiritus. Recordare, Domine, quod filio tuo passo in carne scissæ sunt aquæ in deserto, & torrentes in solitudine, ut, si quis sitiat, veniat ad aquas absque argento, & absque ulla commutatione, atque in abundantia miræ dulcedinis dabitur ei bibere de fonte vitæ gratis. Ecce ego, Domine, venio incessu veloci de terra sitienti, ad te, apud quem est fons vitæ; & venio ad bibendum quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. O quis ex hac biberet aqua, cujus vi mysticâ hydropisi corripiuntur interiora, cujus morbi ipsa sitis est medicina! O aqua, qua mundantur delicta, renovatur natura, sedatur carnis concupiscentia, pacificantur omnia, visibilia calcantur, superna toto cordis anhelitu diliguntur, & bibens nova efficitur creatura ad hominem, qui secundum Deum creatus est in veritate, & justitia! O quis ex hac biberet aqua! Utique tali fluminis impetu lætificaretur Civitas tua, quam ædificasti,

sti, anima mea, quam redemisti. O quis dabit mihi hujus aquæ poculum, & jam non sitiam in æternum, sicut sitit, & sitiet ille, qui rogabat Abraham, ut mitteret Lazarum cum aquæ gutta ad temperandum æternæ inflammationis incendium! Bibat anima mea, Domine; venio enim sitibundus, quia fatigatus ab itinere. Errans sicut ovis, quæ periit, ambulavi per montes superbiæ, per valles avaritiæ, per prata luxuriæ, per terram præruptam, desertam, inviam, & inaquosam, atque in toto viarum mearum aberrante curriculo non inveni, nisi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Bibi usque modo aquam infectam veneno, cujus activa vis destruit salutem, obnubilat mentem, arefacit voluntatem, & facit, ut Patria abeat in oblivionem. Nunc autem ab iniquitatis semita lassus, infirmus, & sitibundus venio ad te, o bone Jesu, ut hanc mihi tribuas aquam, & fiat in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Da mihi eam, Domine, ut jam non veniam haurire huc, ubi puteus est altus: in mundo enim non est nisi labor, dolor, & gemitus, afflictio animi, & angustia spiritus. Hydria, qua aquas haurio ex fæculento hujus mundi puteo, hydria est sine solo, quia, postquam concupiscentiarum sitim expleverim, iterum sitio. Aquæ, quas haurio, aquæ sunt turbidæ, sordidæ, & lutulentæ, quæ bibentis animam replent dolore, & amaritudine. Dum bibuntur, videntur mulcere

palatum, in novissimo autem amaræ quasi absynthium salientes in interitum. Non jam hauriam, Pater Sancte, aquas de puteo sæculi pereuntis: non jam bibam de luto fæcis: da tu mihi haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Dignare compati infirmitatibus meis, & irriget ossa sitientis animæ pluvia voluntaria, quam segregasti hæreditati tuæ. Ecce arida relicta est anima mea, & humorem non habet: contabescit sine succo virtutis, sine liquore charitatis, sine sapore devotionis: ingemiscit sola sine adjutorio, tristis sine solatio, afflicta sine refugio tanquam granum super petrosa, quæ vim non habent humoris, vel tanquam arbor sterilis in terra salsuginis. Tu autem Pater, qui Agricola es, planta eam secus flumen tuum, quod repletum est aquis, ut in tempore suo referat fructum suum tanquam lignum, quod plantatur secus decursus aquarum. Manda nubibus cœli, ut pluant super terram, terram aridam, & desolatam, terram hispidam omni virtutum germine destitutam. Da tu benignitatem, & terra mea dabit fructum suum. Mitte in arentem animam torrentem illum, cujus aquæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, de quo per Prophetam dicis, (1) quod vivent omnia, ad quæ venerit torrens. Scio, quod si hæc in me venerit aqua, statim vivet anima mea, & laudabit te. Eja, Domine, quia dulcis, quia benignus, quia multæ misericordiæ omnibus in-

(1) Ezech. c. 47.

invocantibus te, exaudi, quia clamo, fac, ut inveniam, quia quæro, aperi misericordiæ januam, quia pulso. Usquequo clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quod si homo peccator sum, exauditionis causa non est orantis persona, sed tuæ immensæ Bonitatis excellentia. *Exaudivi te*, dicis cuidam animæ deprecanti, *quia invocasti me*. Non dicis: exaudivi te, quia sanctus, quia justus eras, sed *quia invocasti me*. Igitur si sola invocatio [ne quæso, accipias, Domine in culpam loquacitatem meam. Bonitas tua, & necessitas, quam patior extremam, hanc mihi loquendi præbent audaciam] sufficit, ecce invoco te; exaudi me. Audivi quendam dicentem: *optavi, & datus est mihi sensus; invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ*. Tu scis, Domine, quia desiderio langueo: & invoco nomen tuum, donec attenuati sint oculi mei suspicientes in excelsum. Neque, quia dignus, postulo; neque quia indignus, a postulationis instantia cessare debeo, quia tu, ut exaudias, non respicis ad præteritam orantis malitiam, sed ad Bonitatem tuam. Si peccata sacramentaliter absoluta forent exauditionis obstaculum, quis est homo, qui speraret a te petitionis effectum? Nemo ex cunctis filiis Adam, quia sicut scriptum est: *non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* neque infans unius diei dicere potest: mundum est cor meum, purus sum a peccato. Hujus rei scientia confortat cor meum,

ut fiducialiter agam in te. Ne ergo, quæso, confundas me ab expectatione mea. Cito velociter exaudi me, Domine. Converte cordis mei petram in stagna aquarum, & pectoris mei rupem in fontes aquarum. Non est tibi difficile omne verbum, neque abbreviata manus tua, ut vivificari non possit a tua misericordia suspirantis anima. Tantummodò dic animæ meæ: salus tua ego sum: & ego dicam tibi in exultatione: salus mea tu es.

Oratio secunda ante prandium.

AD te, Domine, flexis genibus in faciem suam corruit humilis factus confusus. Ne, precor, projicias a facie tua hunc pauperem, inopem, & mendicum, hunc egenum, & compunctum corde humiliter deprecantem, qui nullum respuis ad te reversum de iniquitatis semita peccatorem. Faciem, & non dorsum, ostende mihi in tempore accepto, & ne repellas orantem pro peccatis in tempore opportuno. Hei mihi! quid faciam miser, si me projicias a facie tua, & excludas a misericordia, cum non sit in alio aliquo salus, sed tu solus, sis salus, vita, & resurrectio nostra! Ad quem ibo? ad quem confugiam, ut solatium inveniam? Si ad Principes ire velim, in Principibus non est salus. Si ad homines faciem convertam, quæ mihi spes elucere potest, cum sit universa vanitas omnis homo vivens? Si ad meipsum, non est auxilium mei in me. Igitur ad

quem

quem ibo, ut pronunciem necessitates meas? Ad te, qui dicis: omne, quod veniat ad me, non eiiciam foras. Ad te veniam, qui erga nos nimio tractus amore inclinasti Cœlos, & descendisti non horrens Virginis uterum, neque infame recusans Crucis subire patibulum, ut deleres Decreti Chyrographum, atque a diabolicæ tyramnidis jugo salvum faceres genus humanum. Ad te veniam, qui misericordiâ motus, ut de servis Principis hujus mundi filios faceres libertatis, dedignatus non es apparere mundo in habitu peccatoris: ad te, qui cum sis sine quantitate magnus, pro nobis factus es parvulus: ad te, qui cum sis sine qualitate bonus, inter sceleratos reputari dignatus es: ad te veniam Deum, hominem factum publicanorum, & peccatorum amicum: perditorum hominum amatorem: si enim eos non amares de Cœlo non descenderes. Quod si me nimis timidum, & pusillanimem meæ reddere velint iniquitates, tamen magnam mihi præbent fiduciam latrones, & meretrices. Surgunt Crucifixores, & rapiunt Cœlum: surgam & ego, ut in novissimo forsan contingat eorum habere consortium. Ergo ad te veniam, qui manus habes apertas, & das omnibus affluenter, & non improperas: ad te Crucifixum, qui es mare magnum, & spatiosum manibus, illic miserationes, quarum non est numerus. Ad te veniam immundus ad mundum, peccator ad sanctum, impius ad pium, æger ad medi-

cum

cum, invalidus ad adjutorium, pauper ad refugium, ut ſecundum miſerationum multitudinem ſaties bonis animam inanem, repleas in bonis deſiderium meum, atque deterſis tuo ſanguine meis iniquitatibus corones me in miſericordia, & miſerationibus. Ad te venio, qui dicis: *venite ad me omnes, qui laboratis, & oneratis eſtis*, ut a labore feſſus, a peccatorum onere gravatus reficiar, atque iniquitates meas digneris a me longé facere quantum diſtat ortus ab Occidente. Circumdant me, Domine, multa mala, quibus non æquabitur maris arena. In peccatorum profundum demerſus tamquam exoſam habui diſciplinam, atque ad animæ regulamentum omnino repuli ſcientiam in tuæ divinæ Legis injuriam. Per perditionis ſalebras ambulavi, atque per omnem viam non bonam feſtino pede cucurri. De animæ detrimento vitando nihil ſolicitus, parum inter pericula cautus effuſus ſum greſſus dirigens in incertum, donec deſcenderim in profundum. Nunc autem (hei mihi!) inter denſiſſimam tenebrarum caliginem palpo, ſicut cœcus parietem non habens in itinere ducem, nec ullam luminis claritatem. Sed hinc horror, inde terror, inde pavor in via a confuſa conſcientia. Non dum ambulo, cum jam offendo: greſſus ponere patet periculo. Non incedere velle eſt quidem horrido jacere ſepulchro. Quid agam penitus ignoro. In veritate quidem anima mea turbata eſt valde. Sed tu, Domine, uſque quo? Quare tu,

cui

cui datum est nomen super omne nomen nomen Salvatoris, ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Averte, Domine, tot, & tanta mala ab oculis meis: aufer mentis albuginem, & oculi tui videant æquitatem. In nihilum redactus sum, miser, & egens, pauper, & dolens, ab itinere devians, in tenebris ambulans, jacens in custodia, oppressus in angustia, ulla sine substantia, & factus sicut uter in pruina. Erige tu, qui erigis omnes, qui corruunt, de pulvere egenum, de stercore pauperem, de inopia inopem, de luto fæcis mendicum, & de lacu miseriæ peccatorem. Illumina tu, qui illuminas cœcos, hunc miserum, qui amisso sidere in via virtutis ambulat in loco horroris, & vastæ solitudinis. Illumina oculos meos, Domine, fac, ut videam: & quia propter cœcitatem cordis non potui, ut viderem meæ delyria vanitatis, neque præcipitem cursum in barathrum miseræ perditionis, illumina tu mirabiliter a montibus æternis, ut videam, & videns abiiciam opera tenebrarum, & induar arma lucis. Ne repellas orantis desiderium, neque a misero peccatore ex toto corde clamante avertas auditum. Quod si profundé peccavi, atque in terra Sanctorum iniqua gessi, tamen major est misericordia tua, quam iniquitas mea. Tu scis, Domine, quia non mentior dicens mea crimina superare maris arenam: sed & si omnem superant numerum, tamen Bonitatem tuam vincere non possunt. Quis sapiens, &

in-

intelliget misericordias tuas? Non fuerunt magnalia in Ægypto, neque mirabilia in terra Cham, neque terribilia in mari Rubro, quale est eripere hominem a peccato. Superexaltaris, Domine, parcens nobis, & nominis tui gloria usque ad altissima. Parce ergo, parce mihi misero: orantis dimitte peccatum: ne, quæso, inveniatur iniquitas mea ad odium: neque peccatum meum sit sicut peccatum Juda, quod stylo ferreo scriptum est, & non delebitur in sempiternum. Confiteor in conspectu tuo, Domine, quia defecerunt in vanitate dies mei, & in malis demoratus sum; sed tantummodó respiciat me oculus tuus in bono, & statim cor meum factum tanquam cæra liquescens ad te revertetur, & anima mea in bonis demorabitur. Elige me, & assume: si enim assumpseris, & elegeris, inhabitabo in Atriis tuis. Quid faciam, miser! ex me ea, quæ debeo, tibi reddere non possum: quia in me non est nisi radix peccati salientis in interitum. Quid potest homo, nisi cadere, & in perpetuum non resurgere? Numquid potest reddere digna, cujus cogitatio prona est ad malum ab adolescentia sua? Non ferunt tribuli ficus, neque mala punica rubus. Tamen scio quid faciam, ut tibi in integrum debita reddam: da mihi, Domine, quod meum est. Mea est humanitas tua: caro de carne mea, os de ossibus meis est. Natura tua divinitas: mea autem humanitas. In te humanitas assumpta fuit, atque ineffabili modo

do unita Divinitati. In me autem rationalis ſubſtantia, & caro natura, ſicut placuit Auctori. Unde extat illud: nobis datus, nobis natus. Igitur cum ſis caro de carne mea, & ego caro de carne tua, per Sacramentum tuæ carnis a quocumque debito reddor immunis: Humanitas enim divinæ naturæ inſeparabili nexu conjuncta tantæ eſt virtutis, ut obligationem ſuperabundanter impleat debitæ ſatisfactionis. Quæ crimina? quæ peccata? quæ ſcelera non redimet reddens in integrum tui pretioſiſſimi ſanguinis pretium? quæ ſordes dilui non poſſunt per tuæ paſſionis ſalutare Lavacrum? Paſſio tua eſt vas olei, quo tibi reddimus creditori noſtro, & adhuc vivimus de reliquo. Per paſſionis tuæ ineſtimabile Sacramentum non ſolum ſolvis cunctorum vincula peccatorum, verum etiam das dona hominibus, & augmenta gratiarum. In ſanguine tuo ſordentia a delictis veſtimenta lavamus: te moriente vivimus, & livore tuo ſanati ſumus. In Cruce non vibrat gladium divina juſtitia, ſed totum eſt paternalis amor, nimia charitas, & miſericordia. Ecce ego, Salvator meus, Redemptor meus, Reparator meus, ecce ego ante te e Cruce pendentem, ne, quæſo, hanc deſeras ovem errantem. Recordare, quod ſum cauſa tuæ viæ: da locum inter oves paſcuæ tuæ. Non ſupponit meritum converſionis auxilium: ipſe enim dicis: quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Igitur ſi tu, Domine, converſus non es, convertere,

 & eri-

& eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam. Si autem ego conversus non sum, converte me, & convertar ad te: tunc dicam: postquam convertisti me, egi pœnitentiam. Manda virtuti tuæ: quia, cum ipse feceris, quis tuae poterit resistere voluntati? O bone Jesu, si inveni gratiam in oculis tuis, intret in conspectu tuo oratio mea: ne redeat, precor, effectu vacua, sed charismatum donis referta descendat, ut hujus pauperis anima tibi vivat.

SERMO III.

Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est. Matth. c. v. ℣. 48.

De perfectione ad vos, Fratres dilectissimi, sermonem habere jussus, ejus necessitatem in prædicationis arenam deducere supervacaneum existimavi, quia quatenus Omnipotentis Dei Sacerdotes sumus, qui Agnum immaculatum super Altaris aram quotidie offerimus, omnes, nisi quis forsitan idiota, manifesté novimus, quod ex ipsa Sacerdotalis Officii intrinseca conditione in nullo deficientes esse, sed in omnibus perfecti stare debeamus. Idcirco quia res satis nota, atque inconcussa sine controversia, non immoror. Ad opportuniora elucidanda venire oportet.

Dominus noster Jesus Christus, ut nos con-

conformes fieri imagini suæ ex justitia, quæ ex fide est, obtinere possimus, atque ut etiam Patris, cujus filii nominamur, & sumus, similitudinem referamus, dicit ad nos: *estote perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est*. Magna, & mira sententia, Fratres mei, & quidem serio pensanda intimatio est. Videte quoniam non dicit: estote perfecti sicut Abraham, Isaac, & Jacob perfecti fuerunt: sed neque dicit (quod quidem multo majori admiratione dignum) estote perfecti, sicut Joannes Baptista perfectus fuit: sed Sanctorum omnium clarissima perfectionis monimenta transcendens ipsum totius bonitatis centrum nobis proponit ad imitandum. Heu! heu! triennis venerat Joannes periclitantis sæculi fugiens tumultus montium tacitos habitare secessus. (1) Habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, & mel sylvestre: tanta erat ejus vitæ innocentia, & fama sanctitatis, ut etiam Christus putaretur a Pharisæis: & tamen, etiam si Christi testimonio major inter natos mulierum, non proponitur nobis ad imitandum. O quam magna confusio Sacerdotum! sed potius dicam: o periculum! Si ille, qui Christum baptizavit, talem vitæ seriem traduxit, ut ejus sanctimoniam admiratus sit mundus, quid nobis facere oportet, qui majorem illo potestatem habemus? Quem igitur exitum, nisi infœlicem ha-

(1) Matth. c. 3.

bere possunt ii, qui, cum propter sacro-sanctum incomparandæ Dignitatis Officium, ne levi quidem criminis umbrâ cor maculent, discretam colere solitudinem, ab omnique hominum conturbatione semoti esse deberent, amant hominum turbas, populi repetunt coronas, mundanæque consuetudinis implicamenta sectantes non jam Sacerdotes esse videntur, sed negotiatores vel milites? Quam sortem consequi possunt, qui non vestimentum de pilis camelorum, non zonam pelliceam induunt, sed tot subtilia habent indusia, tot præclara vestimenta, quot dies habet hebdomada? Et quidem delicatis vestibus uti peccatum est: nam si peccatum non esset, nunquam Christus Præcursorem de asperitate laudasset (1). Quid sperant ii, qui non solum locustas non comedunt, nec mel sylvestre, sed gravata corda patiuntur in crapula, & ebrietate? O fratres mei, si ita asperum vitæ institutum Præcursoris exigebat officium, consideret charitas vestra, quam vitæ seriem sibi requirat Sacerdotale ministerium. Propterea Christus Dominus non Baptistam, sed Patrem, qui in Cœlis est, nobis proponit ad imitandum: quia ad implendum, sicuti decet, officium tantæ Dignitatis, non est, nisi Pater, qui possit esse regula perfectionis. Perfectio nihil aliud est, Fratres mei, nisi cor ab omni tam spiritualium, quam sensibilium proprietate liberum possidere. Est ergo per-

(1) S. Greg. Mag.

perfectio, quam exigit nostra Dignitas, quædam animi nuditas a quacumque aliena rei concupiscibilis affectione, ab omnique libera proprietate. Quod si quis etiam charismatum dona aliquantula cum proprietate possideat, ipse utique a perfectionis semita deviat: quia perfectio tota consistit in eo, quod animus immunis servetur a proprio. Summa insuper debitæ perfectionis in eo sita est, ut Clericus in cunctis conetur contra ictum fluminis, id est, contra torrentem propriæ voluntatis: nam ibi est perfectionis occasus, ubi quislibet residet propriæ voluntatis affectus. Non consistit in tugurio, non in eremo, sed in corde solitario, nudo undique in cunctis a proprio: ut ita dicam, Sacerdos sic de cordis solitudine debet esse solicitus, ne unquam patiatur, ut, quantumvis minimus, subintret affectus, sed omnium concupiscibilium affectione solutus sic vivat, ut dicere valeat: *Deus, & ego solus*. Ad hanc cordis solitudinem, Fratres mei, ad hanc animæ perfectionem habendam omnium rerum abdicationem docet ipse Christus existere necessariam, dum dicit: (1) *nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Huic quidem renuntiationi tamquam fundamento perfectio innititur, atque in spiritualium abdicatione completur. Prima, quæ temporalium abdicatio nuncupatur, conditio est, sine qua nemo esse potest Christi discipulus.

(1) Luc. cap. 14. V. 33.

Secunda vero conditio est, sine qua nemo perfectus. Hac impræsentiarum omissa in sermone quatenus extra propositi metam vagante, atque ad eos, qui per viam spiritus ambulant, pertinente, de prima juvat verba componere. Perfectio alia est Laicalis, alia Monachalis, alia Presbyteralis, & alia Pontificalis. Consistit Laicalis in observantia mandatorum, atque in affectiva abdicatione temporalium; quorum proprietas, si habeatur ex jure, tamen prohibetur in corde: juxta illud: *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Laicis labor commendatur: solicitudo vero penitus interdicitur. Possunt tamen Laici possidere divitias, fundos, & prædia: sed salvâ justitiæ formâ; quæ si violetur, perfectionis ratio dissolvitur. Monachalis in affectiva, & effectiva simul temporalium abdicatione fundatur. Presbyteralis autem consistit in renunciatione omnium, quæ possidemus, secundum formam, quam exigit Christi discipulatus. Quod si Ecclesiastici possident Ecclesiæ bona, puta decimalia, oblationes fidelium, & pinguia beneficia, ea possident, & possidere possunt ex ministerio dispensationis, non vero ex jure proprietatis. (1) Ex Ecclesiæ enim redditibus nihil sibi assumere possunt præter ea, quæ pietatis spiritus non carnalis prudentiæ nutus, ad pauperem vitam, & vulgarem vestitum necessaria judicaverit. Quod si Canonici, Parochi, seu qui Ecclesiasticæ rei sub-

(1) Patet in Conc. Carthagin.

ſubſtantia potiuntur, quid ultra ad convenientem ſtatum tenendum neceſſaria, de Eccleſiæ bonis accipiant, ut in proprios uſus convertant, ſacrilegium incurrunt, rapinam operantur, ſemetipſos in inferna demergunt: quia Eccleſiæ bona ſunt etenim pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, quæ non niſi in pios uſus converti debere Sacro-Sancti Canones, & Sanctorum Patrum aſſidui clamores evincunt.

Quid eſt ergo, quod pene omnes in Eccleſia Dei a ſpecioſa ſeductivæ opinionis fallacia traducti, atque mordacis avaritiæ nefaria paſſione decepti patrimonia pauperum, victualia pupillorum in proprios uſus, utcumque placet, ſine conſcentiæ remorſu convertere non horreſcunt? Quid eſt (quod non ſine vivo viſcerum dolore dicere poſſumus) quid eſt, inquam, quod a violenta invaſione, a ſacrilega rapacitate, a queſtus turpitudine facta eſt hodie Eccleſia Jeſu Chriſti ſylva furum, ſpelunca latronum? Oportet potius quam verba, perfundere flumina lacrymarum, atque die, ac nocte de cordis fundo proferre lamentum. Serpit enim hodie putrida tabes per omne Corpus Eccleſiæ: & quo latius, eo deſperatius: eo periculoſius, quo interius. (1) Paſſim in Clero curritur a doctis, pariter & indoctis, ut hæreditate poſſideant Sanctuarium non jam quærentes ſpiritum, ſed purum rei materialis emolumentum. Omnes avido impe-

tu

(1) S. Bernard.

tu currunt per inextricabile avaritiæ barathrum, atque famem patientes ut canes circumeunt civitatem quæritantes validioris favorem, ut si forte queant Jesu Christi rapere patrimonium, & de bonis pauperum nummis impinguare peculium. Animam vendalem habentes, atque cum diabolo sacrilegum fœdus miserabiliter ineuntes adinstar rapacis aquilæ, vel Piratarum more spoliant Dei Templum nihil omnino timentes, si impié diripiant Jesu Christi ærarium imitantes nefariam indolem tyrannorum. Laicus aperto ore fieri vult Clericus, quia in Clero tutó, & sine labore conceditur victus. Clericus pro obtinendo beneficio incessanter sudat. Parochus ad Canonicatum suspiriosus anhelat. Canonicus pro Episcopatu habendo gentiliter agonizat. Episcopus pro Capello in somnis laborat. Cardinalis pro summi Pontificatus apice ambitionis, & avaritiæ febribus æstuat. Omnes avaritiæ spiritu fascinati quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. *A minori usque ad majorem omnes avaritia student.* (1) O Ecclesiæ Militantis hora calamitosa, in qua non per Clerum quid cernitur, nisi ferox avaritia! Omnes irrequieto caninæ famis pruritu in ambitionis, & avaritiæ stadio currunt, sitienter ambiunt, pedibus, & manibus repunt, ut si forte possint ad rapinam habere locum. Hinc est, quod ad Præfecturas, & Dignitates ascendere quærunt: quas si virtutis, & litterarum meri-

(1) Jerem. c. 6.

cito adipiſci non valeant, quandoque pecuniis, vel muneribus impetrant eminentes Eccleſiaſtica ſicut in nundinis emi ſolent boves, & pecora. Superbiæ, & avaritiæ lepra correpti infatigabiliter ſudant, ut aſcendant uſque ad Cœlos: ſed oppreſſi a gloria ſicut fulgur de Cœlo cadentes deſcendunt uſque ad abyſſos: cogitatio enim ut aſcendant, indubitanter a diabolo eſt, qui primus dicebat in corde ſuo: *aſcendam ſuper altitudinem nubium ſuper aſtra Dei exaltabo Solium meum.* (1) Igitur ditari, & honorificari appetunt, ſuperexaltari cupiunt, & elevari ſuper cedros Libani: ſed quia in aſcentionis negotio a diabolo diriguntur, dejecit eos Dominus dum allevarentur. Levate capita veſtra, Fratres mei, ingredimini Sanctuarium, & ſedulò circumſpicite ſemitas Clericorum, & renunciate mihi, ſi forſan vidiſtis Chriſti diſcipulum, qui non reſpiciat ad lucrum, vel ad aſcenſum. Ad lucrum reſpiciunt, de quo queritur Dominus dicens (2): *quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat Altare meum gratuito?* Rara avis in terris, cujus intentio non ſit filia cupiditatis. Haud facilé reperietur, qui non diligat munera, & non ſequatur retributiones (3). *Sacerdotes ejus in mercede docebant.* Prædicatores pro modica mercede prædicant, ſi majorem reperire non valeant: nam ſi duæ, vel tres Parœciæ, ubi quadra-

(1) S. Vincent. Ferrer. ſerm. de monte Iſaiæ.
(2) Zachar. Malach. c. I.
(3) Mich. c. 3. v. 11.

dragesimales sermones habentur, occurrant, pro pinguiori pulpito gentiliter agonizant: atque eo pervenit immodesta multorum avaritia, ut pro Novenario prædicando, vel pro Quadragesima habenda, non pacem evangelizent, sed intestina in populis jurgia disseminent fraternam turbantes populi dilectionem, & tollentes de medio Reipublicæ tranquillitatem. Presbyteri si non habeat eleemosynam, non celebrant. Si defunctus pauper sepeliatur, ille solus assistit, qui sub pœna tenetur: attamen in divitis funere Clerici congregantur ut aquilæ. Defuncti pauperis officium rapida cum festinatione persolvitur. Divitis vero magna cum solemnitate cantatur. Canonici, si pinguis distributio fuerit, omnes intersunt. Si vero portio modica distribuatur, pauci numero assistunt. Sunt, qui ad Parochiæ curam anhelant non ovium quærentes lucrum, sed lanam. Non de animarum salute cogitant, sed ad pingue beneficium habent mentem intentam. Cum ad Parochiam, quæ sibi ad victum, & vestitum necessaria præbet, ascenderint, statim irrequietos avaritiæ incipiunt sentire tumultus, atque hæc apud se non rectè cogitant in corde suo: Parochia hæc inops, & pauper est. Illam me oportet, si fieri potest, adipisci: nam habet oves, & boves universas insuper, & pecora campi. Si illam non, illam saltem, quæ abundat fructu frumenti, vini, & olei: sed illa potior absque dubio, cujus campi imple-

pleti ſunt ubertate, & valles abundant frumento. Sic in hujuſmodi cogitationibus volventes animum noctem, & diem protrahunt. Unde, ut obtineant Prælatum, pauperis Parœciæ Cœlum ſibi adverſari, vel aliam cauſam facilé fingunt: atque uſque in ſenectam, & ſenium quieſcere non poſſunt transmigrantes de Parochia in Parochiam propter lucrum. Qui ſunt omnes iſti, niſi fures, & prædones in Eccleſia, quorum animas in inferna demergit omnium malorum radix avaritia? Qui ſunt, niſi ſimoniaci, cum in eis ſit temporale lucrum tota ratio agendi? Cum reſpectus terrenæ mercedis proponatur, ut finis ita, ut neque Prædicator prædicaret, niſi rem a prædicatione perciperet, Presbyter Sacrum non faceret, ſi eleemoſynam non haberet, Canonicus, quia tenuis diſtributio, choro intereſſe negligeret, clara ſimonia eſt. O Fratres dilectiſſimi! quis eſt in Eccleſia Dei, qui puro oculo ſolem conſiderat, & acie non palpitat? (1) *Intuitus ſum, & non erat homo.* Omnes quæ ſua ſunt, quærunt more gentilium: omnes intentam mentem habent ad lucrum more mercenariorum. Quid de aſcenſu dicam? quid loquar, cum Phariſæorum vitia ad nos tranſiiſſe videamus, atque immodeſtius, quam quondam, prævalere palpemus? Quis eſt, qui abiit poſt Chriſtum exemplum humilitatis, & Phariſæos non ſequitur amantes primas Cathedras in Sinagogis, & pri-

(1) Jerem. c. 4. v. 25.

primos recubitus in cœnis? Quis est, qui quiescit sedens in loco novissimo, cum stare possit in alto? Ministrari, non ministrare quæritur in Dei populo: & quod quidem calamitosius est, multi, qui adhuc idonei non sunt ad discipulatum, doctrinæ, & regiminis cathedram ambire non erubescunt: ex quo oborta sunt multa mala in Ecclesia Dei Viventis, absurda, irrationabilia saltem perpetui digna doloris: (1) difficile est enim, ut bono peragantur exitu, quæ malo fuerunt inchoata principio. (2) Nemo ex prudentibus læto animo creatur Episcopus, nisi temerarius: neque forsitan bené præfuit, nisi qui intravit in Ovile quasi compulsus. Quid scelestius, quam ambitio in Sancta Civitate? quid iniquius, quam superbia in Sancto monte? In schola satanæ discitur: Dignitates appetere: ipse enim dixit: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. In schola Christi docemur Dignitates fugere: ipse enim sciens, quia venturi erant, ut facerent eum Regem, fugit in montem. Ecce cujus sub castris quis militet, innotescit. Quis est Dignitatum cupidus, nisi præsumptuosus, & Clericus temerarius? Numquid tu sapiens ad officii munus? numquid ad Episcopatum idoneus? Si dixeris: sum etenim: propulsari debes tamquam superbus. Si autem dixeris: non: quare ultra sufficientiam super humeros tuos præsumis gra-

(1) S. Leo. Mag.
(2) S. Ambros.

gravem imponere farcinam in Ecclesia Dei inevitabile præjudicium, atque in tuæ ipsius animæ detrimentum? Quare non times tantam suscipere obligationem ultra virtutem? Sed o sæculi nostri deploranda calamitas! Jam jam attingimus illa tempora, de quibus ait Apostolus: (1) *in novissimis diebus instabunt tempora periculosa:* sunt enim homines seipsos amantes, cupidi, superbi, elati, qui animam suam tamquam levem stipulam reputantes cum humani generis hoste superbo fœdus percutiunt dicentes ei: da nobis honorificentiam, & rerum mundi substantiam, & cætera tolle tibi. Parum interest animarum suarum miseranda perditio, dummodo honoris gloriam assequantur simul cum lucro. Hæc solummodo inquirunt, hæc appetunt: atque donec æstuantis animi desiderium expleverint, non dormiunt.

Pungit viscera eorum ambitionis aculeus, & stimulus avaritiæ, ut occupent Sedes Ecclesiæ. Sudant, ut obtineant; obtinent, ut habeant unde impinguentur incrassentur, dilatentur, & recalcitrent: ut voluptosé vescentes nutriantur in croceis vitam instituentes suavem, non jam rationi conformem, sed vere gentilem. Ecclesiæ occupant bona, ut recondant in theca vinaria generosa vina, in penu pretiosa obsonia, in arcis delicata linteamina, multipliciaque mutatoria serica, byssina suorum corporum curam gerentes, sed de pupillis, & orphanis, quo-

(1) Ad Timot. 2. c. 3. v. 1.

rum patrimonia ſacrilegé diſſipant, nil curantes. Videmus Clericos gloriantes in byſſino, in profana capillatura, in veſte pretioſa apparentes mundo potius comicos, quam Dei Miniſtros, inſumentes in multiplici ornatu pecuniarum acervos, varia habent indumenta æſtiva. hyemalia, venatoria; & pauperes, quos elegit Deus in hoc mundo, in ſordida, & lacera veſte revelantes quandoque, quia nudi, turpitudinem ſuam, ſine induſio, ſine calceis a frigore livida habentes corporis membra: quid crudelius, quid magis impium, quam in ſuæ vanitatis ornatum bona convertere pupillorum, & nudos eos relinquere, ut pereant in angulis populi adinſtar canum? Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum exurget Dominus. Quid ultra fecére Phariſæi quam multi Clerici, multi Parochi, multi Canonici, qui pingues marſupio, graciles animo, Sacerdotes unctionis Sacramento, ſed fallaces in propoſito, ut rem ſuam agant, egentes ſpoliant quaſi lupi rapientes prædam? In vanitatibus profuſé expendunt, quod crudeliter ſubtrahunt ab ore pauperum. Ipſi per calles gradiuntur in patula pompa, in meretricia veſtium cultura; fugiunt cum tranſeuntibus ſe collidere quaſi apud ſe dicentes: noli me tangere ne culta veſtis diſcrepet a compoſitione. Pretioſam hanc veſtium culturam illuſoriæ opinionis fuco faſcinati juſtificant, atque honeſtam reputant, & neceſſariam, ad conciliandum ſcilicet ſtatui congruentem hono-

nο-

norem, & reverentiam. Sed utique ſemetipſos decipiunt, qui per exteriorem ornatum honorem quærunt; alius enim eſt Spiritus myſticæ Civitatis, & alius eſt ſpiritus Babylonis. Iſte perſonas accipit in ſpecie. Apud illum non eſt acceptio perſonarum, niſi in virtute. Iſte honorem defert per inſenſatos, qui externarum rerum figurâ paſcunt gentiliter oculos. Ille eſt, de quo legimus: *omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. (1) Iſtius honor honor eſt vanus. Illius autem honor eſt ſolidus. Unde Patres noſtri in Spiritu Sancto legitimé congregati dixerunt; *Sacerdos honorem, & auctoritatem non externarum rerum pretioſitate, & culturâ, ſed fidei meritis quærat*. (2) Sobrie, juſte, & pie vivat in hoc ſæculo Clericus, ſequatur ſanctimoniam, quia etſi veſtem geſtet vulgarem, ruſticam, vel inciſam, magnam ſtatim conciliabit a populo reverentiam. Quæ autem Clerici cogitant de cultæ veſtis neceſſitate ad venerationem conciliandam a fidelibus populi, ratiocinia ſunt diaboli, qui ſub honeſti cultus ſpecie confirmat vanitates, pompas, & profuſiones in Eccleſiæ Dei contumeliam, in virtutis ignominiam, & egenorum manifeſtam injuriam. Medium honeſtum eſſe non poteſt quo, etſi concilietur auctoritas, deſeritur humilitas, & reiicitur hoſpitalitas. Proh dolor! diabolus modicum laboravit, & Clericorum corda facilé obtinuit,

(1) Pſalm. 44.
(2) Concil. Carth.

dum sub rationalis politiæ specioso colore pompam in vestibus, profusiones in sumptibus, regium apparatum in domibus, currus, & aurum in curribus, non solum tamquam inviolabilem legem statuit, verum etiam plus solito invalescere fecit. Conciliandæ auctoritatis gratia sufflat ad Ecclesiasticorum aures pessima ratiocinia, atque adeo ea figit in cerebro, ut nullius momenti, nulliusque valoris habeatur Patrum sententia ex opposito. Ipse facit, ut Ecclesiastici conciliandæ auctoritatis causa vivant in magna gloria, & nihil, vel parum curent de carne mortificanda. Non decet, inquiunt, olera tantum edere, sive legumina: sed ratione auctoritatis necesse est, ut multiplices parentur epulæ pretiosi valoris. Maledicta auctoritas, quæ Ministros Sanctuarii facit inimicos Crucis Christi. Hinc est, quod Ecclesiastici non proponentes Deum ante conspectum suum, sed apponentes ultra magnificare se super terram sine conscientiæ remorsu devorant Ecclesiæ substantiam: Mundi sequuntur gloriam, delectat eos vitam habere jucundam, non formidantes suæ cupiditatis edacem vermem nutrire ex ære legitimo viduarum, sed neque horrentes suæ superbiæ luxum fovere de sanguine pupillorum. Ipsi carnis curam facientes in desideriis dormiunt in molli culcitra: humi vero sine opertorio paupercula vidua. Ipsi sub tecto accubant circumquaque pendente tentorio: pauperes autem hyemali tempore pernoctant

ctant sub diu. Non est in Clericis misericordia, sed quædam cordis durities saxo simillima. Omnia sibi volunt, ut large insumant in gula, in luxu, & in superbia.

De Ecclesiæ bonis ædificant Palatia ostendentes mundo suæ superbiæ apertissima testimonia, atque relinquentes posteris suæ tumidæ vanitatis magnifica monimenta. Exornant de pauperum patrimonio domos suas sternentes pretiosis peristromatibus habitacula, atque mira ex vario colore picturâ decorantes cubilia. Sed, quod deterius est, ablatis de parietibus Sanctorum imaginibus ornant habitationes suas mappis, vel mundi descriptionibus, vel depictis fœminis sine vestibus, vel gentium simulachris, aliisque ridiculis historiis. Heu miseri! posuerunt signa sua signa, non Christi, sed diaboli. Per externa pagana gentilica cognoscimus interiora. Emunt viginti argenteis Dianæ balneum, ut exornent cubiculum, & a paupere flagitante solidum faciem avertunt. Ad hoc insuper in Ecclesiam intrarunt, ut egenorum substantiam transferant in superbiam. Supellectilia ex argento in mensa habere gloriantur, atque in tantum progressa est multorum phylautia, ut non Parochus, non Canonicus, sed homo communis, vel rusticus reputetur, qui argentea pocula ad infundenda vina, & vasa itidem ad inferendas dapes non habet. Quâ conscientiâ id agere præsumunt, qui ea, quæ possident, convertere debent in cibos esurientum,

atque in instaurandas ruinas Ecclesiarum?
Non sic cujusdam Ecclesiæ Parochus, qui animarum curam gerebat non longe a meo natali solo: is enim ad mensam sedenti Episcopo (venerat Episcopus visere Parochiam) cochlearia, & fuscinulas de ligno posuit. Episcopus hanc rem ægré accipiens Parochum voluit pecuniariâ poena mulctare. Sed Parochus, qui de sua spe, & operatione securus erat, Episcopo dixit: Domine mi, argentum, & aurum non habeo, neque quid aliud temporale, seu terrenum pretio dignum possideo. Omnia, quæ apud me sunt, Domino meo ostendo. Ecce hac in crumena quingenta ducatorum ad refocillandas animas pauperum, ad alimenta, & coopertoria viduarum, & egentium. Si ergo Dominus meus Episcopus mulctare voluerit, mulctet. Utcumque placuerit in oculis suis, faciat. His auditis tacuit Episcopus, atque insignis misericordiæ ediscens, exemplum Parochum laudibus commendavit, sibique in amicitiis familiariter junxit. Affluebat ille Parochus temporalium rerum substantiâ: nam septem baptismales fontes habebat illa Parochia: & tamen loqui potuit in conspectu Prælati: argentum, & aurum non est mihi. O felix Parochus! fortasse tu solus peregrinus in Jerusalem. Omnes, quæ sua sunt, quærunt.. Omnes sibi commoda sitienter inquirunt. Omnes sibi utilia apertis faucibus ambiunt. Jucundantur in rerum pretiositate, gloriantur in pecuniarum profusione: epulantur quo-
ti-

tidie splendidé: promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud: suppeditantur mera vina de longinquis asportata Regionibus summo comparata pretio: exquisitæ dapes apponuntur in edulio: ad satietatem edunt, festivé bibunt: honorificat eos multiplicitas epularum: non propter necessitatem comedunt, sed propter purum appetitum convertentes in accidentia substantiam, & in substantiam accidentia: quia tota edendi ratio gula est. Pauperes vero si fame moriantur, nihil interest. Juxta est dies, & adesse festinant tempora, in quibus ventrem escam, & ipsam animam destruat in novissimis epulonum Pater orphanorum, & Judex viduarum. Exemplo revelabitur ira Dei super immisericordes, qui subvertentes lancem justitiæ deficere faciunt egenos terræ. Stabunt in illa die in magna constantia viduæ, orphani, & pupilli, atque in conspectu districti Judicis audietur ex ore eorum querela gravis: (1) ab ore nostro crudeliter subtraxistis, quod in superfluitatibus, in comessationibus, in luxuriis, in pompa, & in vanitatibus vestris expendistis. Aures vestras ad clamorem nostrum obturastis. Nostra deprædati estis adulterantes officium piæ dispensationis. Quid facturum putatis, fratres dilectissimi, cum dies novissima reveletur, Judicem, de quo scribitur, quod *inultum abire non patitur* (2)? Sed heu! heu! Ecclesiasticorum mentes adeo

(1) S. Bern.
(2) Job.

adeo contenebravit ambitionis, & avaritiæ nubes obſcura, ut neque futuri memoria eorum moderetur abuſus, neque profanos compeſcat exceſſus.

Quis non fleat videns ita glorioſos incedere Sacerdotes, quos propter divitiarum, & gloriæ jactantiam vocat Dominus vaccas pingues, (1) in auratis curribus procedere cum magna gloria retro ſequente in cultis veſtibus ſervorum catervâ ambulantes pompaticé per loca publica, atque exaltato corde vani tumoris gratiâ relinquentes ubique ſuæ timidæ vanitatis impreſſa veſtigia? Quis non doleat videns ab ipſis Sacerdotibus profanatam Jeſu Chriſti Eccleſiam, cum ita in meretricio corporearum rerum nitore in curribus, & in equis ſtrenué phaleratis, in ſæculari pompa, atque in tot ſervorum jactantia ardentius laicis de calice bibant Magnæ Meretricis? O miſeranda Eccleſia Salvatoris! Ecce ſubſtantia, quæ religioſe inſtituta eſt ad ſublevandam egenorum penuriam, ſuperbia eorum, qui diſcipuli Chriſti non ſunt, ſed Leviathan, convertit in pompam. Unde hæc in Eccleſiaſticis bonorum Eccleſiæ ſacrilega diſſipatio? Unde domus eorum pretioſa ſupellectilia, præclara veſtimenta, menſa luxurioſa, aurata vehicula, magnifica Palatia, luxus, faſtus phariſaica pompa & reliquæ vanitates, quas non ſine vivo cordis dolore cernimus in Eccleſia? De Eccleſiæ patrimonio foventur hæc omnia

(1) Amos 4.

omnia. Ipsa vero Jesu Christi Ecclesia in habitu pauperis, facta sicut homo ignobilis, hispida, denigrata, habet diruta, vel saltem nutantia Templa, sine debito pavimento, in Atriis virgulta nata sicut in saltu, & in montibus, nidificant passeres in Altaribus, paramenta lacera, vel corrosa a muribus, fiunt paludes a pluviis de Cœlo cadentibus, Ecclesiastici autem ullo sine remorsu saltem animi dubitantis in curribus, & in equis? Ecclesia Dei deserta adinstar solitudinis, & Sacerdotes in cultu mundanæ conversationis? Ecclesia sacris destituta vestibus, & Clerici in pompis, & sæculi vanitatibus? Ecclesia incomposita, inculta, denigrata, similis facta carbonibus, & Ministri Altaris dissipantes Ecclesiæ substantiam cum meretricibus? Quis audivit unquam talia sic horribilia? Subintrarunt vulpes in vineam, ut devastarent eam rapientes uvas, & vix fuit, quæ servaverit a rapina manus innoxias, quia non intrantes per ostium, sed aliunde ascendentes *omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones*. (1) Pauci sunt, qui intrant per portam, sed perfodientes muros pene omnes latenter intrant, ut excorient Ecclesiam, ut pauperum patrimonia diripiant, & Ecclesiæ redditibus nobilitent domos suas, consanguineos extollant, atque inclytam, & illustrem faciant familiam. Clericus, cum esset laicus, non habebat nepotes: facto autem Canonico, vel Episcopo ebulliunt tamquam mures.

Hos,

(1) Joan.

Hos, ut ditent, & adaugeant, emunt de bonis Ecclesiæ prædia, possessiones, vel oves, vel porcorum greges, vel tribuunt pecuniarum copiam, ut exerceant mercaturam. Alunt domi consanguineorum copiosam catervam, atque omnes, si fieri potest, divitiis impinguant. Ipsi vero arbitrantes ea, quæ Clericus possidet, esse legitima, si Clericus moram fecerit, subripiunt, quod possunt, tranquilla conscientiâ. Unde multi Clerici non alunt nepotes, sed domesticos fures. Si Ecclesiasticus sit super candelabrum positus, de nepotibus altiora tentat, hoc est, de Ecclesiæ redditibus Villas comparat, & Marchionatum fundat. O deploranda Ecclesiæ calamitas! In quo sacro codice, in qua sacra pagina, in quo Ecclesiastico Canone hujusmodi sacrilegium fieri posse legére, qui talia agunt? Quomodo non timent in gratiam nepotum demergere animas in profundum? Quâ conscientiâ dic, Clerice, dic, Sacerdos, emis de bonis Ecclesiæ oves, boves, & capras, prædia, villas, & fundos, ut extollas consanguineos? Quid magis justitiæ, & pietatis rationi dissentaneum, quam de Ecclesiæ redditibus Marchionatum fundare? Si in Marchionatum convertere Ecclesiæ bona non est aliena rapere, quid est rapina? Ergo in ventum locuti sunt Patres nostri, dum in Synodo congregati dixére: (1) *Ecclesiæ bona patrimonia sunt pauperum: caveant ergo Sacerdotes, ne de Ecclesiæ reddi-*

ti-

(1) S. Bonifac. P. Concil. Carthag.

bus ditent, sive extollant consanguineos: Quod si consanguinei pauperes sint, ut pauperibus distribuant. Ergo vel erronea est sententia Patrum, vel qui consanguineis Ecclesiæ bona concedunt, salvari non possunt. Ineluctabilis consequentia est. Dicet aliquis: consuetudo est antiqua a potestatem habente affatim nota, & non compressa. Breviter respondebo: multa mala in Ecclesia Dei per patientiam a Sede Apostolica tolerantur, quæ si deducerentur in judicium, arguerentur. Ad quid opus est, ut Papa hanc pestilentem praxim, imo potius abusum denuo succidat, cum Sacrorum Canonum, & Patrum sententia sacrilegam esse rapinam luce clarius aperiat? Etiam ipse hujuscemodi bonorum exitus hanc elucidat veritatem: nam sæpe videmus hæc bona, quæ ab Ecclesia auferuntur, & consanguineis dantur, vix ad secundam generationem pervenisse. Clericorum bona evanescunt tamquam umbra. Non dabunt nepotes radices altas: quod si in tempore germinaverint, cito deficient: quia, quæ male erogantur, male dilabuntur, atque quæ injusté habentur, cito disparent ut nubes a ventis, quia bona maledictionis. O vere deflenda Ecclesiasticorum fascinatio! Carnis, & sanguinis densa nubes contenebrat oculos eorum, ne videant, quia cognati, seu nepotes sunt, qui animas Clericorum in inferna deducunt. Non desunt, qui vel carnis passione seducti, vel parum litterati illud *& carnem tuam ne despexeris* cognatis favere

intel-

intelligant, & quia sensus ftet pro consanguineis. Attamen erronea quidem intelligentia est: nam secundum Canonicam interpretationem per *carnem tuam* proximum tuum, id est, quemlibet egenum debemus accipere: ipse enim est caro de carne nostra, nosque caro de carne sua, atque frater in Christo, qui dicit: omnes vos fratres estis.

Est & alia mortifera lues in Ecclesia, paupertas avara longe quidem deterior, quam gula, & abominabilior, quam pompa. Apparet enim Clericorum innumera multitudo, qui pluris quam animam æstimantes pecuniam diabolicâ thesaurizandi pestilentia laborant. Per diem non quiescunt, per noctem non dormiunt, sed cum diabolo vigilant, atque cum eo semper exuriunt. Vitam vivunt crudelem, & rigidam, castigantes gulam, ut quæ ab ore auferunt, in crumena reponant. Humanam fugiunt societatem, fugiunt amicitias ob vitandas, quæ inde oriuntur, expensas, ita ut etiam in medio magnæ Civitatis vivant similes facti pellicano solitudinis. Comedunt caules, olera, legumina, & quæque vilissima: poma non sana, sed putrescentia: vinum, quod bibunt, quandoque vinum non est, sed acetum: omnia hæc, & multa alia libenter tolerant, ut pecuniam (dicam) peculium adaugeant. Tantalica thesaurizandi fame correpti tempora observant: at ubi nubes vident retardantes pluviam, frumenta, oleum, seu vinum abscondunt, donec propter

pe-

penuriam augeatur pretium, & inde majus possint habere lucrum. Quid vilius, quid crudelius, quam hujusmodi Clericorum avara manus? Ipsi sunt non Ministri Dei Viventis, sed homicidæ Communitatis (1): *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*, & portabit infame nomen ante faciem multitudinis. O quam innumeri reperiuntur hujus furfuris Clerici, qui a satana elusi propter avaritiam de nihilo, nisi de thesauro cogitant, quem morientes vel relinquunt absconditum, vel nepotes furantur, vel homo extraneus devorat illum, atque in ebrietatibus, commessationibus, & luxuriis expendunt, quod ille miser congregaverat in fame, frigore, & siti sustinens crudele martyrium, & quod longo tempore retinuerat otiosum. O stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, & quæ congregasti, cujus erunt? Thesaurizas, & ignoras, cui congregas ea. Habebit prodigus hæreditatem, & pecunia tua tecum erit in perditionem. Grande periculum, Fratres mei, grande periculum, si moriatur Clericus habens peculium! Si quemadmodum affectus sum, ac sentio, loquar: ejusdem periculi, est mori uno cum aureo ultra id, quod necessarium rationalis prudentia judicat, in crumena, ac si quis moriatur dormiens simul in lecto cum concubina (2): ratio est, quia id, quod repositum habuit, ab ore pauperum sustulit, & non restituit. Secundo, quia qui

 cum

(1) Prov. cap. 11. v. 26.

(2) S. Thom. a Villanova ait uno cum Julio in crumena.

cum auro moritur, cor ejus in auro esse convincitur: quod quidem si ibi non esset, vivens, vivens erogasset. In mortis hora tremenda cor a thesauro avertere est, (1) si non omnino, pene impossibile primo, quia non sine dolore relinquitur, quod cum delectatione retinetur. Est autem amissionis dolor secundæ mortis præcursor. Secundo, quia Clericus in illa hora propter avaritiæ lepram admodum debilem patitur animam. E contra spiritus, qui creati sunt ad vindictam, Scriptura testante (2), in die consummationis effundunt virtutem. O quam grande periculum! O quam grande malum avaritia Clericorum ipsi etenim Regnum Dei non possidebunt: sed erunt foris ut canes, venefici, impudici, homicidæ, & idolis servientes (3). Quod mercenarius, qui uxorem, & filios habet, aliquantulum pecuniæ recondat, non demiror: demiror siquidem, quod Clericus, qui habet fontem in domo, ex quo haurit quotidie indeficientem aquam, faciat sibi cisternam. Nonnulli sub pietatis colore suam nutriunt avaritiam thesaurizandi foventes insaniam: ajunt enim se pecunias reponere, quia in testamento pia opera volunt fundata relinquere: quæ quidem diaboli manifesta tentatio est. Vides viduas egentes, puellas periclitantes, orphanos nudos, esurientes pupillos, peregrinos, & vagos subsidio destitutos, & claudis viscera tua ab eis, quo-

(1) S. August.
(2) Ecclesiastic. cap. 39. v. 33.
(3) Apocal. c. 22.

quomodo credere possumus charitatem habere erga futuros pauperes, qui charitatem non habet erga præsentes? Longe sit a me charitas tua: ipsa enim est non charitas, sed sævitia. Fundas in morte, quia in morte necesse est omne relinquere. Si adhuc viveres, non fundares.

O pestilens avaritia quam laté, quam potenter dominaris in Ecclesia! In primis Ecclesiæ sæculis splenduisse legitur rerum temporalium abdicatio heroica. Postquam autem redditâ Ecclesiæ pace aperta est ad possidendum janua, turbata est justitiæ forma, & prævaluit pertinax avaritia. Unde verum esse videtur illud, quod a plerisque dicitur, scilicet, quod eo die, quo Constantinus Imperator baptismum suscepit, audita est in Lateranensi Basilica vox dicentis: *hodie effusum est venenum in Ecclesia Dei* (1). Venenum hoc Clericorum avaritiam esse quis dubitat? Ex eo tempore incæpit irrequieta cupiditas Clericorum corda corrodere, & Ecclesiasticos occupare. Constantini pia munificentia causa non fuit, sed occasio. Causa ea est, quæ physicé vel moraliter inducit ad effectum: occasio vero ea est, quæ movere solet affectum. Occasio in re intrinsecé peccaminosa scandalum est: in materia vero honesta, vel indifferente licita. Igitur Constantini donatio pia fuit, sancta, & laudabilis, quidquid in nos verbis malignis garriant hujus illuminati sæculi nebulones, qui in gratiam Principum Ecclesiam temporalia possidere non posse defendunt sæ-

 cu-

(1) S. Vincent. Ferrer. in Serm. S. Sylvest.

culentam Wiclet, Hus, & Hieronymi de Praga (1) cacologiam revocantes, atque immunditiam in ſordidam infamiæ cloacam jam diu projectam removentes. In prædiis ergo, & poſſeſſionibus crimen non datur: ſed in male utentibus invenitur. Invenitur in Clericis, quorum occupat interiora pecuniarum fames avara, atque adeo hæc dira peſtis invaluit in Eccleſia, ut facta ſint hodie in plebis ſcandalum tyranna viſcera Clericorum. Laicis citius currunt ad aurum: velociores aquilis ad mortua corpora feruntur ad argentum, atque tota eorum occupatio eſt augere peculium. Pauperem in anguſtia rogantem dato forſitan ſolido a ſe repellunt. Quod ſi pauper preces repetat in humilitate, neſciunt ei reſpondere pacifica in manſuetudine: ſed intonantes dura exaſperant pauperem in inopia dicentes ei: *vade: declina*. Tu Parochus, tu Paſtor in populo, & egentem dimittis ſine ſubſidio? Qui egentibus ovibus non tribuit eleemoſynam, quomodo credere poſſumus, quod pro ovibus ponat animam? Ego ſaltem non credam: nam qui in modico iniquus eſt, in maximo iniquus eſt. O ſacrilega, o crudelis avara manus! Equs tuus ſtat in ſtabulo ante præſepe plenum: canes tui abundant panibus, & pauperi nudo, & eſurienti vix porrigitur ſolidus? Sed heu! heu! non ſolum Eccleſiæ bona pauperibus non diſtribuunt, verum & ſunt, qui negotiatoriam artem ſacrilego auſu exercentes emunt

(1) Hi omnes damnati ſunt a Conſtant. Concil. ſeſſ. 8. & 15.

emunt modico panis in die angustiæ inopis supellectilia pretiosi valoris. Pauper necessitate compulsus dat pretiosa quæque pro cibo, atque ea forsitan vendit obulo. Et tamen Clericus mercator pessimus Sacrum facit sine conscientiæ scrupulo? O quis det, ut Jesu-Christi sponsa, quæ ita turpiter dehonestatur, ab hujusmodi Clericorum pestilentia libera gloriaretur. Utinam hujuscemodi Clericorum adultera generatio finem haberet, qui libellum repudii dantes Sanctuario, infami, atque crudeli incumbunt mercimonio. Sed utinam alia pessima, & germana avaritiæ soboles itidem extingueretur, quæ in Ecclesiæ ignominiam, & Ecclesiastici Ordinis despicientiam miserabiliter invalescit. Soboles hæc Clerici sunt, qui propter terrenum emolumentum, seu turpe lucrum vilia gerere munia non verecundantur inservientes in domibus divitum, equitum, vel Marchionum, ut Factores, Pincernæ, Pedissequi, & fœminarum clientes. Ipsi sunt, qui abiectâ Sacerdotali debitâ reverentiâ curam gerunt de coquina, dispensantes coco salem, carbonem, & oleum, servis annonam, pistori farinam, & alia hujusmodi. Ipsi curam agunt de Vinitoribus, de Agricolis ponentes rationem cum eis, & operariis reddentes mercedem laboris. Alia nec non domestica exequuntur munera conditione Servilia non jam Clerici, sed potius famuli: non jam Sacerdotes, non Ministri Altaris, sed actores infimæ servitutis. Quid turpius, quid indecentius, quid ignominiosius, quam Sacerdotem di-

vino dicatum Ministerio in laicorum domibus se tam indecoro, tam vili mancipare servitio? Idcirco Clerici facti sunt hodie contemptibiles valde. Nos proterunt sæculares, despiciunt nos, confundunt nos, in faciem nos cædunt, non verentes Sacrosanctum offendere Sacerdotium. Quare hæc patimur, Fratres dilectissimi? Quia, ut ea, quæ in mundo obtinere desideramus, habere possimus, aliena prorsus ab instituto negotia assumimus; quia digna vilipendio gerimus.

Percute cardinem, & commoveantur superliminaria, ait Dominus per Prophetam *(1)*: avaritia enim in capite omnium, & novissimum eorum in gladio interficiam. Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem eorum sublevant animas eorum (2). Idcirco comedent, & non saturabuntur (3). Væ, væ qui opulenti estis in Sion Optimates, capita populorum ingredientes pompaticé domum Israel, qui ut faciatis vobis in domo mea nomina superborum, conteritis super pulverem terræ capita pauperum. (4) Numquid super his non visitabo, & in gente tali non ulciscetur anima mea? Cito velociter arguam in ira mea inclytos populi mei animo superbientes, atque disperdam in furore charitatis fœdera dissipantes. Ab eis auferam ea, in quibus habent fiduciam nutrientes superbiam: & scient, quia ego sum Dominus. O Fra-

(1) Amos c. 9. v. 1.
(2) Oseæ c. 4.
(3) Amos c. 6.
(4) Jerem. c. 5.

O Fratres chariſſimi, ecce impleri palpamus, quod ſcriptum eſt. Ecce flagellat nos Dominus, ſicut comminatur in Scriptura, dum permittit, ut ſæculares a nobis auferant temporalia. Vos ipſi videtis quot, & quanta patiatur Mater Eccleſia. Quæ autem eſt hujus tribulationis cauſa? Eccleſiaſticorum avaritia. Quare nos percutit Dominus? quia bonorum diſpenſationem malé gerimus, & adinſtar Villici diffamati ipſius bona diſſipamus. Vix videtur in Clero miſericordia: videtur autem profana pompa, ſuperbia, divitiarum jactantia, & pertinax avaritia. Idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio: atque utinam in temporalium ſpoliatione finem habeat, & ultra non procedat. Sed cor meum majora mala formidat. Legiſtis in Scriptura, quia per *quæ quis peccat, per eadem torquebitur* (1). Peccavimus per avaritiam: & ecce bonorum ſuſtinemus jacturam. Hujus percuſſuræ, Fratres mei, efficax medicina alia non eſt, niſi lacrymabilis pœnitentia. O tu Domine, ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te, receſſimus a Teſtamento Sancto tuo: peccavimus, & veré deliquimus, & ut digni ſumus, non recepimus. Poſt noſtrarum carnalium cogitationum ſtudia abeuntes voci tuæ non obedivimus, ſed a te vocante aures avertimus, & avaro corde Sancta violavimus. Sed tu, quoniam benignus es, attende de Cœlo, & cogita de nobis: aufer iniquitates noſtras, & confitentes tibi ne perdas, & fac

(1) Sapient. c. 11.

& fac nos tuo dignos Sanctuario, ut fideliter expleto vitæ curriculo edamus, & bibamus super mensam tuam in Regno tuo. Amen.

QUINTA DIE

ORATIO PRIMA IN MANE.

USquequò clamabo, Domine, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Clamavi, & clamo manibus meis die, ac nocte contra te, & non exaudis me. Sto extollens manus meas in Sancta, & non respicis me: sed in duritia manus tuæ adversaris mihi quasi Cœlum ponas adinstar ferri. Usquequó irasceris super orationem servi tui, continebis te, tacebis, & affliges me vehementer? Si inter me, & te diviserunt peccata mea, & dignus inventus sum, ut me proijcias a facie tua, quare ab iniquitate mea mundum me esse non pateris, & cordis mei non sanas sauciata vulnera tu, qui solo sermone restauras universa? Quare non indulges misero peccatori, & non dimittis crimina delinquenti, cum sis Agnus Dei, qui tollit peccata mundi? Credo Scripturæ dicenti: *Altissimus odio habet peccatores*. Illud tamen scio, quod si peccatores non amares, de Cœlo non descenderes. Idcirco, quia amas nos, inclinasti Cœlos, & descendisti apparens mundo

do in ſimilitudinem carnis peccati. Acceptâ non juſti, ſed ſervi formâ militaſti in noſtræ carnis ſubſtantia: ut per hoc inſtrumentum Divinitati conjunctum donares nobis omnia delicta. Et hæc eſt, Domine, ſpes noſtra Humanitas tua. Os tuum, & caro tua omnes nos. Igitur nemo carnem ſuam odio habuit. Amas nos, & quidem nimium: ſi enim quis, dum in humanis ageres, te invenire volebat, non te quærebat in domo Matris tuæ, quæ ſuper omnes ſanctiſſima creatura eſt: non in domo Præcurſoris tui, quo inter natos mulierum non ſurrexit major: ſed in domibus publicanorum, & peccatorum: ibi inveniebat te, Domine, qui te quærebat, in domo teloniarii turpiſſimi negotiatoris, & in domo mulieris peccatricis: inveniebat te non cum mundis, ſed cum leproſis, cum paralyſi laborantibus, & dæmonia habentibus. Cum hujuſmodi inveniebaris, pro quibus fortem ut mors oſtendiſti dilectionem, donec temetipſum tradideris pro peccatoribus innocentem. Nimium me diligit, qui pro me vitam ponit. Poſuiſti pro nobis animam ut Paſtor bonus: atque non ſolum das animam, ut Decreti chyrographum in Cruce deleres, ſed etiam patibulo adactus proprio ſanguine paſcis oves. O miranda dignatio! Tu ipſe Sacerdos, & Sacrificium: Paſtor, & cibus ovium. Quid debuiſti ultra facere, & non feciſti? Quid adhuc retines, quod non dederis? Neque tu quidem habes quid amplius poſſis dare: neque nos habemus quid ultra petere. Dicat apud ſe

se itulta cogitatio mea quodcumque voluerit, quibus scilicet meritis Cœlum intrare præsumis? quia cum divinæ inseparabiliter copulata sit humana natura, morte tua intercedente mundamur a peccatis in tui sanguinis effusione multo melius, quam a lepra mundatus est Naaman Syrus in Jordane. Habemus Pontificem Deum simul & hominem, cujus morte pretiosa manet in integrum satisfacta divina Justitia. Ipse longé fecit iniquitates nostras in Cruce, quantum distat ortus ab Occidente. Igitur tantâ circumdatus misericordiâ cur timebo in die mala? Hei mihi! timeo, Domine, quia scelera mea multa, & dies iræ dies illa. Novissimæ tubæ sonitus turbat me: cumque mecum recogitem meæ crimina juventutis, & oculos judicantis, horrescunt pili carnis meæ a facie pavoris. Propterea adhærente pavimento anima mea, humi prostratus, atque humiliter ex animo provolutus deprecor faciem tuam in toto corde meo, ut in abundantia tuæ divinæ pietatis eripias me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Remitte mihi, Domine, remitte mihi, ut refriger priusquam abeam, priusquam deposito mortali corpore vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: quia non mortui laudabunt te, neque confitebitur tibi pulvis. Parce mihi misero peccatori, & ne tradas animam meam crudeli. Usquequó non parcis mihi, abjectum non reducis in misericordia, & non lavas me ab iniquitate mea? Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Per

Isaiam

Isaiam dicis: adhuc illis loquentibus ego audiam. Ecce raucæ factæ sunt fauces meæ: quia laboravi clamans, & rugiens a gemitu cordis mei, ut ostendas mihi misero peccatori salutare vultus tui. Sed quó a me ardentius quæreris, eo citius elongaris. Surgo, & venio ad te media nocte pulsans, mittens in astra clamores, ut commodes mihi tres panes, quia amicus meus venit de via, & panis non est in domo mea, quem ponam ante illum. Amicus meus animus meus est, qui ab itinere fatigatus languens jacet sine viribus: non enim est in eo vigor virtutis, neque fervor ad cursum suscepti itineris, neque calor devotionis ad opera charitatis. Idcirco venio ad te, ut commodes mihi tres panes, fidem vivam, spem robustam, & charitatem heroicam. Tres panes peto a te, Domine, ne mihi deneges, antequam moriar, scientiam, sensum, & sapientiam; scientiam, ut cognoscam in terra viam tuam. Sensum, ut intelligam in via immaculata. Sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret in justitia, atque hac irrigante viscera salutari pluviâ centesimum fructum afferam in patientia. Sed quia non in solo pane vivit homo, animam esurientem tuo refice verbo. Vivus namque, & efficax est sermo tuus, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Fiat super me, Domine, in hac hora: a regalibus Sedibus veniat, atque in viscera penetrans animæ suspirantis de voluptatis tuæ torrente inebriet cor, quod amoris desiderio languet. Eja, Domine, exaudi

de Templo Sancto tuo vocem meam, & fac me audire vocem tuam. Exurge, quare obdormis, & oblivisceris inopiæ meæ? Si quiescis jam in cubili tuo cum pueris tuis, qui per fidem vicerunt regna, atque deposita carnis sarcina: lætantur in gloria, memorare quia nihilominus puer ego sum, qui quanquam adolescentulus, & contemptus, tamen justificationes tuas non sum oblitus. Noli itaque reprobare me a pueris tuis. Non in justificationibus meis preces prosterno, sed in miserationibus tuis multis tuæ immensæ Bonitatis clementiam exoro. Surge ergo de cubili inter pueros tuos, & da mihi quotquot habeo necessarios. Absit, ut a janua discedam, donec desiderium meum a te, qui das omnibus affluenter, obtineam. Panem peto non lapidem: ovum non scorpionem: piscem non serpentem: Spiritum tuum de altissimis, cujus aqua munda diluente crimina peccatoris, convalescat puer iste tuus ad opera charitatis. Usquequó petam, & non accipiam? Usquequó quæram, & non inveniam? Usquequó pulsabo, & non aperies januam? Propter improbitatem saltem exaudi me. Non possum non in te confidere, Domine: etiam si moram feceris, expectabo te: quia nunquam tu petentem a te salutem dimisisti inanem, neque optatam roganti fraudasti consolationem. Quis non sperabit, ut exaudias vocem orationis, cum etiam ipsum diabolum te deprecantem audieris (1)? Rogabant dæmonia ne imperares illis, ut in abyssum irent: sed ro-

(1) *Lucæ* c. 8.

rogabant te dæmones dicentes; (1) si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum: & dixisti illis: *ite*. Si ergo Legionem exaudisti, quare fiduciam non habeam, quod exaudies hominem, quem tuo pretioso sanguine comparasti? Si rogantes audisti dœmones, potius homines: nam propter homines, & propter nostram salutem descendisti de Cœlis, & incarnatus es. Hac infinita Bonitate confisus, atque magna fiducia roboratus supersperabo semper, ut in multitudine miserationum Domini Salvatoris benigné exaudias vota rogantis, & prævenire me indulgeas in benedictionibus dulcedinis. Quis est, qui desperet, ut annuas postulatis, cum statim admiseris preces Legionis? Infernorum abyssus locus est, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus, & tamen rogantibus ne mittas eos in sibi paratum locum, præstas auditum. Differs ad tempus: attamen differre concedere est. O benignissime Jesu, quam bonus, quam suavis, quam misericors, quam dulcis! Sit nomen tuum benedictum in sæcula ab omni creatura, quia multa nimis tua misericordia non solum super justos, sed etiam super ingratos, & malos.

Oratio secunda ante prandium.

O Quot, & quantis tribulationum angustiis convolvitur anima mea, Domine! Coangustant me undique multa mala, quæ tamquam prœlo constringunt, & commovent de loco suo viscera mea. Tene-

M

(1) Math. c. 8.

nebrosus turbo cor possidet, & occupante terrore desertam animam ago dies, quibus nunc milito, in fletu, et planctu bibens de vino amaritudinis, & jugiter victitans de pane tribulationis. Ardua in angustia positus rugio a gemitu cordis mei levans in cordis impetu vim clamoris ad te, qui habitas in Cœlis. Contristatus sum enim in exercitatione mea a voce inimici, & persequentis. Immittit inimicus meus in me cogitationes multas, & malas torquentes cor meum, ut ablata spe promissæ salutis desperem a gloria retributionis. Peccatorem me videt, aridum, desolatum, indevotum, sterilem, sine affectu virtutis, sine fervore charitatis, sine succo devotionis agentem vitam utpote qui accepit in vano animam suam; & vocem arroganter exaltans ait Angelis suis: persequimini, & comprehendite. Deus dereliquit eum. O me miserum! Conturbant animum voces adversariorum, nimiusque terror comprimit ossa mea constituens animam in angustia. Hoc in terrore tuarum miserationum memoriam faciens respondeo eis: ego autem ad Deum clamabo: & Dominus salvabit me: in Deo salutare meum: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est. Igitur super inimicos meos despiciet oculus meus. Sed ipsi tamquam catuli leonum rugientes, ut rapiant, dicunt animæ meæ: transmigra in montem sicut passer. Impellunt me, Domine, ut vadam per salebras perditionis, & non revertar. Ego vero sperans in te, qui salus mea es, audacter dico eis: Deus meus, & Salvator

meus

meus, adiutor meus non emigrabo. Sed ipsi frendentes in me dentibus suis adhuc in ira molesti erant mihi dicentes: quando morietur, & peribit nomen ejus. Attamen ego & si pavore concusus, fidei scuto munitus respondeo eis: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Ipsi vero adhuc de perditione mea habentes fiduciam magis, ac magis clamant tentantes subtiliter, & persequentes crudeliter, quos ad aures loquentes audio: devorabimus. O Deus cordis mei, usquequó improperabit inimicus? Quare me quasi solum relinquis in certamine, & pauperem, cui non est adiutor, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Non ad te pertinet pupillum eripere de manu fortiorum ejus, & liberare animam inopis a facie tribulantis? Quare avertis faciem tuam a me? Recordare quia tu es, Deus, fortitudo mea. Coarctor nimis in conflictu adversariorum: irruunt in me fortes irreparabile minantes excidium, & quasi certum sibi pollicentes de certamine triumphum. Et tu in tanta angustia, in tribulatione tanta faciem tuam abscondis, & animam meam non liberas de manu diripientis? Apprehende arma, & scutum, & veni in adiutorium meum, quia tu es, Domine, qui in potentia virtutis tuæ molas confringis adversario, atque in multitudine roboris tui bella conteris ab initio. Quis sum ego, ut certamen inire præsumam cum rugiente leone, cum Behemot antiquo serpente, cui datum est bellum facere cum Sanctis, & vincere eos? Ipse patres no-

noſtros adhuc carnis rebellione carentes ab optimæ pacis culmine dejecit. Ipſe gigantes in ſanctitate protrivit: ipſe ſapientes deluſit. Quid igitur huic miſero non timendum, qui maleſuadæ carnis involucra ſecutus juſtitiæ ſemitas ignoravit? Ipſe belligerandi arte doctiſſimus eſt. Ego vero carnem habeo peſſimam ſociam amicam ſuam etiam me nolentem captivantem in Lege peccati, & retrahentem me a lege juſtitiæ. Quæ ergo ſpes victoriæ, cum ita debilem patiar animum, & non habitet in carne mea bonum? O Domine! inopem per carnem, cujus portionem occupat, ſine ceſſatione periculoſus hoſtis exagitat. Ibi ſedet quaſi leo in ſpelunca ſua occupans carnem, ut ſi forte poſſit, in occultis trucidet innocentem, ſuperiorem portionem. Neque reflexa ejus malitia in eo eſt, ut ad malum impellat, ſed ut malum, ne malum eſſe videatur, ſub veriſimilitudinis ſpeciebus fraudolenter abſcondat. Nonnunquam ut incautos deijciat a culmine mentis, transfiguratur in Angelum lucis. Combinat ſpecies: revolvit humores, ſimulachra ingerit in phantaſias, exagitat carnis potentias: unde facto paſſionum tumultu fit, ut appareat virtus heroica falſa juſtitia. O quis cognoſcere poteſt aſtutias diaboli, Domine? Quis cognoſcet dentium hujus tortuoſi ſerpentis armaturam, arcum, & pharetram, atque quam parat, ut trucidet in occulto, ancipitem ſagittam? Ipſe cum ſuis narravit, ut abſconderet laqueos, & dixit: quis videbit eos? Quis revelabit faciem indumen-

ti ejus? Portas vultus ejus quis aperiet? Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. O tu Pater luminum, illumina tenebras meas, ut hujus homicidæ reflexos calles agnoscam: circundet me sperantem in misericordia tua tuæ protectionis scutum, nequando dicat: prævalui adversus eum. Ne me, precor, deseras in tempore malo concertantem cum hoste superbo, qui est arte belligerandi cum triumpho doctissimus ab initio. Igitur pone me juxta te: doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, quia tunc non timebo a facie insultantis, cum tu mecum sis tamquam bellator fortis. Usquequó oblivisceris me in finem? Respice de Cœlo, & cogita de me: neque tradas bestiis animam confitentem tibi, & invocantem nomen Sanctum tuum in die belli. Si (quod absit) averteris faciem tuam a me, quó ire potero? Ecce perditio mea ex me: auxilium meum tantummodó ex te. Domine vim patior sanguinolentum sustinens inimicum: accelera: noli tardare, ut præstes adjutorium. Alliga in fortitudine tua Fortem armatum, atque de cordis mei atrio expelle occupatorem iniquum, qui per fallaces illecebrarum delicias possedit usquemodó rationales potentias, atque deducens me suaviter per vitia blanda ambulare me fecit in via tenebrosa. Portabat me ad hujus nequam sæculi gloriam tanquam ovem ad victimam, & ego nesciebam. O quanto dolore, Domine, concutitur anima mea, cum in me reversus

agnoſco, quoniam te Paſtorem ſequi ſtultus recuſavi, & poſt carnivorum lupum venire non exhorrui. Te æternæ vitæ paſcua pollicentem inſipiens deſerui: te paterno amore vocantem audire contempſi; & homicidam ab initio in interitum ducentem ſequi in deliciis habui. O me millies miſerum! Erravi, Domine, erravi: Paſtorem reliqui, & lupum elegi. Relinque in deſerto gregem, & quære me mei ſollicitus ovem errantem: atque inventum in hac horrida ſæculi ſolitudine impone me ſuper humeros fortitudinis tuæ, & reduc me, ne penitus peream, in ovile. Tu es Paſtor meus eſſentialiter bonus: Paſtor, & paſcua: Paſtor, qui electas proprio ſanguine paſcis oves: paſcua, quæ dat debilibus craſſa in pinguedine carnes. Eja, Domine, quære me valido cum clamore balantem: ne obtures aures ad ovis clamorem, ſed adjunge me ad oves paſcuæ tuæ, ubi non eſt vitalis cibi indigentia, neque ſalientis aquæ defectus, neque ruina maceriæ, neque tranſitus. O quis mihi tribuat, ut pane de Cœlo præſtito cibares eſurientem, & ſatiares bonis animam inanem! Quis det, ut de torrente voluptatis tuæ potares ſiti laborantem, & de petra melle ſaturares inopem! Quando hæc erunt, Domine, ut de menſa, quam paraſti in conſpectu meo, aſſumat anima fortitudinem adverſus omnes, qui tribulant me? Coarctor in anguſtia ſuſtinens per momenta pericuſoſa certamina. Crudeliter perſequitur pauperem infenſiſſimus hoſtis: circuit, ut devoret quaſi leo rapiens,

piens, & rugiens; & quia nisi tu eras in me, forté vivum deglutisset me, & fuissem similis descendentibus in lacum, ubi non est nisi fletus, & stridor dentium. Festina, Domine, in adjutorium; neque exaltet super me caput suum Leviathan Princeps superborum, antiquus ille tyrannus, qui ambulans in magnis, atque in mirabilibus super se super astra Dei exaltare præsumpsit Solium suum volens tibi usurpare gloriam propter superbiam, & nostram perdere miserabiliter animam propter invidiam. Circumcinge me, Domine scuto virtutis tuæ; indue me Dei armaturam, ut possim stare adversus insidias Diaboli. Da mihi puero tuo viriliter inire certamen: concede superbum vincire leonem, atque super excelsa mea deduc me victor in psalmis canentem.

SERMO IV.

His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Zachariæ c. 13. v. 6.

O Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & deducet quasi torrentem lacrymas pupilla oculi mei plorans die ac nocte per vitæ residuum infanda mala, quæ invalescunt in domo Dei coram facie populorum! Quis det, ut in Scythica nemora ab omni prorsus conturbatione semota venirem, vel in Oaxim magnam mortalium plantis

impe-

imperviam sine comite penetrarem, ubi brevi clausus in antro similis factus viverem pellicano solitudinis, & sustentarer, quandiu vixero de pane lamentationis! Heu, heu! quis mihi hoc tribuat, ut auferat mala ab oculis meis, & jam non aspiciam hominem ultra, donec jacentem in gemitu occupet hora novissima, & me nimium dolentem separet mors amara! Anxiata est valde anima mea, Fratres charissimi: sedet in angustia vivo transverberata dolore, & tota oppressa amaritudine. Video enim Magnificos domus Dei cum injuria pietatis, cum infamia virtutis, cum ignominia Ordinis projecisse a se stolam Sacerdotalem, & induentes infimæ servitutis amictum mutasse colorem: video Ecclesiasticum Statum projectâ post tergum justitiæ formâ, quam tanti muneris excellentia requirit a Sacerdote, in sui vulnus atque in Ecclesiæ dedecus a Dei spiritu defecisse: atque taliter se gerere moribus, qualiter usque modo in temporum Chronologia non legimus: video Altaris Ministros transmigrasse de monte Sanctificationis in terram salsuginis ad mores indisciplinatæ gentis, turpiterque corruisse in platea Civitatis: video Inclytos Civitatis Sanctæ deserto sanctitudinis loco in Babylonem venisse, atque commutantes signa Sacerdotalia accepisse caractherem bestiæ, dum post delyramenta sæculi pereuntis apparent incedentes quasi temulenti a calice Babylonis. O! quis non fleat, quis non proferat vivo cum dolore lamentum videns conglutinatas cum terra
ani-

animas Sacerdotum, & conformes huic sæculo Ministros Dei Viventis, qui inserviunt Sanctuario? Quis non doleat videns filios Excelsi abalienari retrorsum confundere Ministerium, profanare Dignitatis officium claudicantes a semitis suis, semetipsos in inferos demergentes, atque pravitatis exemplo plebem Christi sicut escam panis devorantes? Oportet potius, quam sermonem habere, lachrymis operam dare. Hanc de Cœlo prospiciens vitæ deformitatem conqueritur Dominus, atque tactus dolore cordis intrinsecus lamentatur dicens: O vos omnes, qui transitis per mortalitatis viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus! Ecce qui edunt mecum in mensa, levaverunt contra me calcaneum suum. Foderunt manus meas crudelius quam ferrum, scelera Sacerdotum: *& his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*. Obstupescite, Cœli, super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer; quia is, cujus ineffabili providentiâ totus regitur mundus, sustinet a peccatoribus plagatas habere manus. Filios ennutrivit, & in sublime posuit: portavit eos per hujus peregrinationis horridam solitudinem sicut mulier charum, quem genuit, portat infantem. Sed ipsi in arcum pravum conversi super exaltantem eos magnificant supplantationem. Quis audivit unquam talia horribilia, quæ fecit nimis Sacerdotale genus, gens sancta, tribus electa? Quid est, quod perforatas patitur manus, & amaré volvitur in doloribus candidus, & rubicundus electus in millibus?

bus? Amici, & proximi confixere reddentes odium pro dilectione. Per manus enim Sacerdotes figuraliter exprimuntur: ipsi namque operantur in domo Dei offerentes Sacrificium, & prædicantes Dei verbum. Duo hæc præcipua sunt munera Sacerdotum, quibus ex ipsa Officii natura in vinea Salvatoris incumbunt. Unde quia manus pollutæ, quia Sacerdotes Sacratissimi instituti fœdera dissipantes, atque concupiscentiarum legibus inhoneſtè servientes transmigrarunt ad carnalia, quærulas voces ingeminat Dominus dicens: *his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*. Sed quid sunt, Domine, plagæ istæ in medio manuum tuarum? Sacrilegia sacerdotum; quæ quidem duas crudeles plagas comprehendunt scilicet pessimum vitæ institutum, & scandalum. Istæ sunt plagæ in medio manuum tuarum, Domine: & quasi non ista sufficiant ad lancinandum animum, super dolorem vulnerum tuorum plagam desperabilem addiderunt, impœnitens cor.

(1) Depone, depone, anima mea, jucunditatis, & lætitiæ vestimentum: sede in pulvere induta cilicium, & fac tibi planctum amarum ab imo eructans pectore verba plena dolore: quia profanatum est usque ad summum Atrium Altaris, atque adulteris, & non filiis plena est terra sanctificationis. Ulula satis, anima mea, mittens in sidera voces: voca lamentatrices ut sedeant tecum lugentes indefesso a lacrymis oculo invalescentia mala,

(1) Prima Plaga.

la, quæ pietatis oculus videt in Sanctificio. Videt oculus, & utinam oculus non videret, quod montes excelsi, qui in circuitu Dei sunt, verticem inclinantes in terram humiliaverint gloriam suam. Videt oculus, quod Ecclesiastici seductivâ malesuadæ carnis opinione traducti, atque immodestæ passionis spiritu miseré fascinati sanctitudinis loco valere jusso recedant a Sanctuario, & libeat infami tyranni Principis se mancipare servitio, dum proijcientes post dorsum sacratissimum sui Ordinis institutum ad profanas mundi quæstiones irrequieto conatu corda convertunt. Videt oculus, quod Altaris Ministri de morum disciplina nihil animo revolventes, atque de vitæ sanctimonia minimé cogitantes violent Templum Domini; siquidem acceptâ quasi in derisum reverentiâ Sacrorum majorem inde ad perpetranda mala licentiam assumunt, unde exactioris vitæ deberent accipere regulamentum. Videt oculus, quod animam tamquam levem stipulam reputantes Materialistarum mores totis viribus imitentur, atque mundanæ phylosophiæ delyramenta cervicosâ quadam animi temeritate sequantur. Videt oculus, quod spiritus renovatione contemptâ effusa sint viscera Sacerdotum per mundi theatrum, atque laxatâ penitus casti pudoris habenâ facti sint populis in proverbium. O miseranda hujus nostri temporis hora! Prævaluit super laicorum vitia Clericorum execrabilis arrogantia. Laici, quia forsitan pauperes sunt, & stulti ignorantes viam Domini prolabuntur in

vi-

vitia carni servientes in lege peccati. Sed Sacerdotes, qui cognoverunt judicia Dei sui, in quibus subest divinæ Legis scientia, magis hi simul fregerunt jugum, ruperunt vincula (1): magis hi extenderunt manus suas ad perpetranda mala transgredientes legitima Dei sui inverecundâ fronte, atque prætereuntes sermones Dei pessimé. Versa in desuetudinem sanctarum Legum custodiâ, factâque in oblivionem Sacerdotali Ministerio competente justitiâ fervet in Clero liberrimæ vitæ contumax arrogantia. Prævalet in sacerdotio incomposita vivendi ratio, effrons morum dissolutio, Sacrorum impia despectio, & tantummodó retenta est, ne Clerici perdant a proprio, & ut placeant sæculo, politica compositio. A prædominante passione Clericorum devoratâ sapientiâ potentes in iniquitate gloriantur in malitia non aliter ac si eo animo susceperint Sacerdotium, ut vitam viverent more gentilium. Obscurato penitus splendore virtutum a densa nube servilium cupiditatum in Clericis est, tota ratio agendi immoderantia passionum. Unde carnalium affectionum vorticibus involuti apparent deformatâ facie in conspectu populi, quos ex habitu cognosces Clericos: si vero mores spectes, Epicureos, vitâ paganos: nam quæ Clerici quærunt, hæc gentes inquirunt. Quærunt Clerici mundi gloriam, terrenarum rerum substantiam, carnis luxuriam, & omnem, quæ in mundo est, mali concupi-

pi-

(1) Jerem. c. 5.

cupiſcentiam. (1) *Omnes iſti Principes declinantes, æs, & ferrum: univerſi corrupti ſunt: non eſt qui invocet juſtitiam, neque qui ſervet, ſicuti debet, legis cuſtodiam.*

O priſtina Matris Eccleſiæ glorioſa tempora, in quibus Sacerdotes callentes ad unguem ſui muneris Sacramentum apparebant populo tamquam ſol univerſo mundo candidiores nive in puritate, nitidiores lacte in converſatione, rubicundiores ebore antiquo in charitatis virtute, ſaphyro pulchriores in omni chariſmatum genere! Sed o miſera noſtra tempora confeſſionis ſpiritu paria: attamen moribus admodum diſſimilia! Ubi eſt illa morum gravitas, ubi veneranda illa animi Religioſitas? Ubi illa virtutum exacta cultura? Ubi Sacerdotalis illa modeſtia? Ubi circumſpecta illa in habitu, in geſtu, in inceſſu, in eloquio reverenda gratia, qua ſibi conciliantes populi devotionem alliciebant ad virtutem? Heu! meritó exclamare poſſumus cum Prophæta: (2) *Quis in vobis derelictus eſt, qui vidit domum hanc in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* Proh dolor! obſcurata eſt gloria domus Dei a malitia habitantium in ea. Dilecta perdidit pulchritudinem, & Agni Sponſa amiſit compoſitionem dum ſumpſit Clericorum incorrepta propenſio in omni vitiorum genere libertatem. Fœdata eſt, contaminata eſt inverecundis Sacerdotum moribus Eccleſia Dei: perdidit in

(1) Jerem. c. 6.
(2) Aggæi c. 2. v. 4.

Clero virtutem: etiam pietatis amisit speciem: mutavit in miserabili nostri temporis hora colorem. Spiritu confessionis eadem est, & fides ejus semper intacta, perpetuó pura: at Clericorum moribus longé diversa, ex diametro opposita. Sacerdotes in tempore illo non egrediebantur de domo in medium populi, nisi rationabili necessitate compulsi: cum per calles transibant, nihil nisi grave moderatum, ac Religione plenum præseferebant. Hodie vero quietis impatientes in capillatura, & habitu ad modos composito die, ac nocte circumcursant plateas, atque effuso corde per varias mundanarum rerum figuras fora, calles, & compita repetunt, atque nutantia corda miseré subeuntes profano oculo per loca populo frequentia lasciviunt. Mundi spiritu miserabiliter occupati, ut sibi concilient ab hominibus reverentiam, ut vani honoris flatum acquirant, ut humani respectus umbram lucrifaciant, modos affectatæ compositionis inveniunt aptantes non vestimenta corporibus, sed corpora vestimentis. Cum arte compositi, & fœminiliter culti priusquam egrediantur extra domum, prætereuntem imaginem considerant ad speculum: cumque extra domus limina venerint, vagari incipiunt ad se avocantes oculos insensatorum, &, quod turpius est, nutantia corda mulierum. In tempore illo cum Sæculares per callem videbant incedere Sacerdotem, si sedentes erant, omnes assurgebant, atque detracto pileo vestem ejus deosculabantur deprecantes eum.

eum: commenda nos Deo tuo. Hodie vero cum Clericum vident gradientem per callem, vel per plateam, inter se dicunt: Clericus iste vadit ad illam. Olim Sacerdotes ut divinum recitarent officium, solitudinem cogitabant, & silentium. Hodie autem videmus Clericos per frequentes Civitatis vias persolventes horas Canonicas, vel in curru cum Breviario in manu associantes fœminas, earum inservientes obsequio, & miscentes colloquium cum officio, vel super fenestras incumbentes jactantes oculos in transeuntes. In tempore illo removentes a se familiaritates, & sæculi vicissitudines Scripturarum lectioni, & orationi vacabant Sacerdotes. Hodie vero de Scripturarum lectione, de oratione, & solitudine fastidiosi tumultus amant viventes mundialium rerum negotiis involuti, relationibus, connexionibus, & familiaritatibus irretiti ad sæcularia totum referentes animum, & mortali odio prosequentes devotionis studium. Deserentes locum, in quo debet orare Sacerdos, populi compita circumcursant, ubi dissipato corde, & vagantibus oculis per ea, quæ in sæculi scena repræsentantur, adinstar insensatorum, qui peritura diligunt, inanium rerum colore pascuntur. Væ miseris! effusi sunt sicut aqua, & non crescent. Odium quietis deturbat modum debitæ conversationis. Consuetudo cum Sæcularibus reverentiam abstulit a Sacerdotibus. Cum laicis nimis familiariter agunt; cum laicis comedunt, simulque colludunt: & quia cum eis ita familiariter faciunt, assi-

 dui-

duitate viluerunt. Videntur Ministri Altaris in cauponibus, in tabernis comedentes, & bibentes ultra mensuram cum hominibus fæce Reipublicæ, confabulantes de carne, donec absorti a vino titubent linguâ, & abrupto modestiæ fræno a sordido corde eructent colloquia prava. Proijciunt post tergum statuta Patrum, qui dicunt: *Clerici edendi, vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi necessitate compulsi*, (1) Quid turpius, quid inhonestius, quam Clericus in taberna cum gente ordinaria repetens pocula? Corruo præ verecundia. Ego ipse, qui magnam Europæ partem de Corvalani deserto egressus lustravi, multa christiano pudore digna vidi. Quæ inde reverentia erga Sacerdotium? Quæ venerationis gratia, nisi Ecclesiastici Ordinis ignominia? Hinc est, quod ultra scandalum vilem patitur Ecclesia contemptum. Dehonestant hujusmodi Sacerdotes Ecclesiam Dei. (2) Sed *cui væ? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Sacerdotes in tempore illo, si quid supererat temporis, in Ecclesiam conveniebant, atque populum verbo doctrinæ catechizabant. Hodie vero diem extrahunt ludentes ad chartulam pictam, & profundentes iniquo dispendio Ecclesiæ substantiam, qui solidum erogare nesciunt in pauperis eleemosynam. Conveniunt non in Ecclesiam, ut instruant, sed in Café, ut commenta enarrent, vel ut fabulas audiant: vel ut aperiant aliorum mores, & vitam. O no-

(1) Dist. 44.
(2) Prov. c. 23. v. 29.

O nostri temporis hora periculosa! Non sunt ista sicut illa fuere gloriosa tempora. Fuerunt primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes orbis terrarum clarissima lumina. Hodie vero non sumus, nisi tenebræ, & lubricum, sive tinnientia cymbala. Abnegamus virtutem, & solam retinemus pietatis speciem. (1) Venerabilis quidam Episcopus sermonem ad Clerum faciens intimo cordis ejulatu clamabat dicens: „ væ nobis, „ Fratres dilectissimi, væ nobis! In tem- „ pore illo calices erant cuprei, & Sacer- „ dotes aurei. Nunc autem sunt calices „ aurei, & Sacerdotes cuprei „. Hoc dicebat venerabilis ille Prælatus in sæculo tertio. Sed quid nos, Fratres charissimi, quid nos post tot elapsa sæcula dicere possumus, qui Anti-Christo vicini jam sumus? Mundus quó magis antiquatur, & senescit, eó in deteriora descendit: & homo, quó magis in senium provehitur, eó magis ægritudinum, atque dolorum copiâ gravatur. Igitur si Episcopus ille eo tempore sic clamabat, quo Sancta Mater Ecclesia per totum terrarum orbem sanctitate florebat, quem nos oportet edere planctum, in quos fines sæculorum devenerunt, & novissima hora est, in qua abundat malitia, & refrigescit charitas multorum? In veritate quidem dicere possumus: Calices ex auro gemmis ornati, & Sacerdotes lutei: calices ex pretiosa materia, & Sacerdotes phantasmata. Væ nobis, Fratres mei, væ nobis: omnis com-

(1) In Vitis PP.

positio nostra ablata est (1). Pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est. (2) Obscuratum est aurum: mutatus est color optimus: in vasa testea opus manuum figuli conversi sumus. Denigrata est super carbones facies nostra, & non sumus cogniti in plateis. A capite aureo descendimus in tibias luteas, in pedes fictiles rumpi faciles. (3) Pristinus ille calor, qui ferbuit fovens primitivam Ecclesiam, conversus est in levem favillam, atque ignis ille missus de Cœlo, & absconsus in terra versus est in aquam crassam. O tempora! (4) si rerum raritas pretium facit, nihil pretiosius in Ecclesia Dei bono, utilique Clerico: rara avis in terris, nigroque simillima cygno. Sunt justi, atque sapientes: Ecclesia namque esse non potest sine justis (5). sed habes pauca nomina in Sardis. Omnes declinaverunt: simul inutiles facti sunt. Non est, qui invocet justitiam, neque qui serió inducat animum ad virtutis sequelam. Sed omnes eó tendunt, ut rem hauriant ex Tabernaculo, qua propria voluntas satisfieri possit obsequio. O Fratres mei dilectissimi, quid dicerent, si de sarcophago, in quo jacent, prodirent Apostoli, & viderent Ecclesiasticum Statum conversum in pharisaismum? Quid dicerent, si viderent Clericos magnificantes fimbrias, dilatantes phylacteria, amantes primas cathe-

(1) Mach. I. c. 2.
(2) Jerem. Thren.
(3) Machab. 2. c. 1.
(4) S. Bernar. sup. Cant.
(5) Apocal.

thedras, ambientes honotem, & captantes auram popularem? Quid dicerent, si viderent, quod materialis substantia transierit in rei summam, & opus Dignitatis in ceremoniam? Quid dicerent si viderent Clericos ædificantes palatia, ementes oppida, procedentes in aurato curru cum majestate regia sequente post tergum servorum copiosâ turbâ, atque incolatum explentes in vita delicata? Quid dicerent, si Clericum viderent diversicolore habitu indutum equo strenué phalerato insidentem per medium populum lascivire non jam Sacerdotem, sed Militarem; non jam Ministrum Christi, sed Anti-Christi? Quam, quæso, sibi fingit ideam de Ecclesiastica perfectione Clericus, qui habitu Clericali deposito, & militarem habitum induens pretiosé ornatum equm ascendit, fræno, & calcaribus ex auri pallore præclaré renitentibus, sellæ equestris ex aureo, vel argenteo filo pretiosé elaboratâ fimbriâ, per loca populo frequentia deambulat objectum admirationis, prodigium vanitatis? Clericus iste cum ita gloriosius procedit in publicum, ait esse fabulam Evangelium, & paradoxon, quod nobis promittitur in futurum. Quid demum dicerent Sanctissimi Apostoli, si de tumulo caput levarent, & viderent, quod Sacerdotes Pharisæos longé superent? Jejunabant bis in Sabbato Pharisæi: Clerici autem contemnentes hæc arma justitiæ in epulis, in conviviis assuescunt delicias habere, donec gravata patiantur corda in crapula, & ebrietate. Extendebant palmas suas ad pau-

pauperem Pharisæi propter vanam gloriam. Clerici vero manus abscondunt propter avaritiam. Erant Pharisæi in Templo longas orationes orantes. At Clerici non solum non longas, sed neque breves. Pharisæi foris erant dealbata sepulchra. Clerici autem quod intus habent, apparet extra. Igitur in eo differunt Clerici a Pharisæis, quod Pharisæi hypocritæ erant; sed Clerici scandalizant.

(1) O nostri sæculi infelix hora! O nimis calamitosa tempora, in quibus non solum non apparet in Clero debita sanctimonia, sed neque justitia: imo potius sine conscientiæ remorsu vivendi prævalet arrogantia, adinstar gentium vita jucunda, atque in Christi opprobrium, & animarum flebile detrimentum morum licentia, vita scandalosa. Minimé cogitantes, quia domus Dei sunt, quam decet sanctitudo, neque ponentes in præcordiis talia, quod corpora eorum sint Spiritus Sancti Templum, & anima siquidem Corporis, & Sanguinis Christi Sacrarium, Templum Domini profanis abominationibus violant, atque abalienati retrorsum animas suas carnalium affectionum vix intermissâ sorde corrumpunt. Passim occurrunt de Clero (quod non sine vivo ab imis visceribus ducto dolore dicere possumus), qui repulsâ cum infamia tantæ Dignitati debitâ reverentiâ, Clericalisque verecundiæ jam larvâ depositâ diffunduntur meretriciâ fronte per enormia crimina deducentes animas suas in interitum, atque populo Dei

(1) Secunda plaga.

Dei fatale parantes scandalum. Utinam oculus non videret, quæ amaré plangeret: sed nondum oculos aperimus, cum jam jam perpetuo digna ejulatu iniqua, & infanda a Clericis perpetrari videmus. Videmus (heu! heu!) quamplurimos Altaris Ministros sic iniqué, & turpiter vivere, ut dici queat Sacerdotale suscepisse Ministerium potius ad funestam ruinam multorum, quam ad salutem animarum, cum tot indigna relatu palam gerentes, minimos, qui in Christo credunt, deducunt in profundum. *(1) Insolentia* Clericorum, cujus Mater est negligentia Episcoporum, ubique terrarum turbat, & molestat Ecclesiam. Dant Episcopi Sanctum canibus, & margaritas *porcis*, dum ullo absque timore, sed arrogantis animi libertate per illicita desideria carnis opera perficientes gloriantur in malitia auctores iniquitatum vitæ scandalo trucidantes animas parvulorum. A Clericis discunt laici vitæ superbiam, sæculi pompam, carnis luxuriam, injuriarum vindictam, atque intendentes oculos ebibunt avaritiæ pestilentem aquam: cumque edocere deberent populos elementa virtutis, conversâ rota nativitatis Scholam aperiunt miseræ perditionis. Unde queritur Dominus per Jeremiam: (1) *Pastores multi demoliti sunt vineam meam*. Facti sunt filii mei perditi, lamentatur Ecclesia, atque de filiis in infensissimos hostes commutati dum inverecundis moribus a me temeré tentant aufer-

(1) S. Bernar. in ep. ad Innoc. PP.
(2) C. 12. v. 10.

ferre pulchritudinem, totamque de medio tollere compositionem. Non latrones, & homicidæ sic contribulant animam meam. Ipsi potius causa sunt gemitus, & amaritudinis, qui adstrictius reliquis portantur ad ubera Matris. Ipsi, qui edunt panes meos, dum sibi instituunt vitæ libertatem, magnificant super me supplantationem: nam videntes laici in Clericis vitæ laxissmum inde assumunt sine remorsu pravitatis exemplum, ut liberé manus extendant ad opera tenebrarum: dicunt enim: si Clerici, qui nobis in speculum positi sunt, in quos oculos conijcere debemus, ut actus nostros componamus, hæc, & illa faciunt, quare nos eadem facere non possumus? Hinc est, Fratres dilectissimi, quod hodie (1) *populum videmus nugacem*, carnalem, luxuriis deditum, vitiorum cœno involutum, eo quod tales habeat Sacerdotes. Non est jam dicere *sicut populus sic Sacerdos*: sed potius sicut Sacerdos sic populus: & ut ita dicam, non sic populus ut Sacerdos, quia non ita pessimé vivunt Sæculares ut Sacerdotes. Corrupta est in populis morum disciplina, liberrimæ vitæ prævalet arrogantia, morum dominatur effrænata licentia. Sed unde oborta sunt hæc in populo detrimenta? A Sacerdotum scandalosa vita: (2) *causa enim sunt ruinæ populi Sacerdotes mali*. O Deus altissime! quid fiet de Clericis, qui cum populo præbere debeant exempla virtutum perversis actibus *confortant manus pes-*

(1) S. Gregor. M.
(2) Idem Greg.

pessimorum? Quid de Presbyteris, qui frontosâ pravitatis audaciâ nulla exhibent exempla virtutis, sed populo præbent pabula mortis? Expedit eis, ut suspendatur mola asinaria in collo eorum, & demergantur in profundum Maris. Non mirum, Fratres mei, non mirum, si plebs Christiana ab instituti rectitudine devia procedat, cum linea, seu forma se curvam, & tortuosam exhibeat. O Clerici, vos estis lux mundi, qui accepistis Ministerium, ut sancté Sanctum offeratis Sacrificium, atque verbo, & exemplo illuminetis mentes hominum? Non lux mundi, sed potius tenebræ, quibus laici jacent hodie miserabiliter involuti. Heu popule Dei, si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ tuæ quantæ erunt? Idcirco quia Clerici exuentes arma lucis a vigore passionum amplexantur opera tenebrarum, quia via eorum tenebrosa, quia impudenter se gerunt contra Sacrorum Canonum instituta, facta est nox in plebe Christiana, in qua a malitia Clericorum ex duobus his unum, vel idiotaissimus in doctrina, vel laxissmus in conscientia. Et vos estis sal terræ, qui confricatione virtutum reservatis animas a putredine peccatorum? Potius offensionis petra in miseram stragem animarum. Heu heu! vellem potius deducere quasi torrentem lacrymas, & adusque extremum vitæ spiraculum ebibere fletus amaritudinem, quam de scandalosis Clericorum moribus habere sermonem. Etenim dolor occupat linguæ facultatem, atque cordis mei juge lamen-

tum

tum vocis obturat organum. Video, & vident omnes (quia quæ palam fiunt, latere non possunt) Ecclesiasticum Statum in deplorabili statu constitutum. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, enervata virtus in corpore, corpus deficiens virtute, & ut propheticis verbis utar, *a planta pedis usque ad verticem capitis non est* in Ecclesia Dei *sanitas*: sed livor, & plaga tumens, quæ neque est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo, sed plaga quasi desperabilis. (1) Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarii, & omnes adversarii: omnes proximi, & nulli pacifici: omnes domestici, & fideles nulli: ut impleatur, quod per Prophætam dicitur: *amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt*: (2). Plorans plorat in nocte Jesu Christi Ecclesia, atque oppressa amaritudine gemit quasi turtur solitaria: *facta est in pace amaritudo mea amarissima*. Amara in nece Martyrum: amarior in conflictu hæreticorum: amarissima in dissoluta, & procaci vita Clericorum. O me nimium dolentem! Si inimicus meus, si Turcarum Princeps, si Lutherani, si Calvinistæ, & reliqui Novatores maledixissent mihi, sustinuissem utique, & abscondissem me forsitan ab eis. Sed a Sacerdotibus, qui sedent super mensam meam, & graviorem mihi inferunt injuriam, ubi me abscondam? O dilectissima Mater Ecclesia, magna est velut mare contritio tua! Foves
in

(1) S. Bernar.
(2) Psalm. 37.

in gremio multos non commensales, sed canes Nutris multos non amicos fideles, sed scorpiones. (1) Sed quis consolabitur te? Solus ille, qui dicit: *ecce ego mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor, ut daretis gloriam nomini meo. Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum; & scietis, quia misi ad vos mandatum istud. ut esset pactum meum cum Levi. Vos autem recessistis de via & scandalizastis plurimos in Lege, & irritum fecistis pactum meum. Propterea dedi vos contemptibiles, & humiles in omnibus populis, sicut non servastis vias meas.* (2) *Væ Pastoribus, qui vitæ scandalo disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ. Vos, Sacerdotes dispersistis gregem meum: & ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.*

Adversus Sacerdotes, Fratres dilectissimi, fremit ira furoris Dei, atque super Altaris Ministros vigilat virga indignationis suæ: ipsi enim prolongantes iniquitatem, & adaugentes malitiam exasperant Dei patientiam, atque justum Judicem provocant ad iracundiam. Transilientes terminos debitæ conversationis præcipitem sequuntur gyrum sapientiæ carnis, cum contumelia virtutis. In aliis palam notatur vita gloriosa, in aliis venerea, in aliis de mundo solicita, in aliis dissoluta, in aliis politica, in aliis miscellanea, & pene in omnibus ab instituto prorsus aliena.

O Univ-

(1) Malachiæ c. 1.
(2) Jerem. c. 23.

Unusquisque coram facie sua ambulat: Omnes ubi est impetus carnis eorum, illuc gradiuntur: neque revertuntur, cum incedunt. Unusquisque sibi retinet vitam secundum quam sibi fingit ideam: atque arbitratur se bené incedere per illum tramitem, cujus novissima deducunt ad mortem. Speciosâ illusi opinione, quæ robur obtinuit a carne, nullum de inordinata vita patiuntur scrupulum, sed ac si tuti, & securi, in Fortis armati pace conquiescunt. Hinc est, Fratres mei, quod Sacerdotes ad Altare offerentes irritant Dominum, quia ut Agnum offerant immaculatum, non sacrificant justitiæ Sacrificium. Unde ait Dominus per Jeremiam: (1) *ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suave olentem de terra longinqua? Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Imo de Sacrificio, quod offerunt, hauriunt mortale venenum. Iniqua gerimus, Fratres, in terra Sanctorum. Profanamus perversis moribus Sanctuarium: idcirco percutit nos Dominus cœcitate, ne videamus præruptas semitas nostræ concupiscentiæ, neque viam justitiæ. Quod si, Dominus ad suam Bonitatem non respexisset in misericordia, jam diu abstulisset a nobis divina Sacramenta, & translato Sacerdotio dedisset genti facienti fructus ejus in abundantia. Non temeré dico, Fratres, sed ut affectus sum, ac sentio, loquor: perspectâ serió sanctimonia, quam exigit institutum, atque itidem serió consideratâ vivendi ratio-

(1) C. 6. v. 20.

tione, quam communiter tenet universitas Clericorum, Deo gratias agamus, si ex decem Sacerdotibus salvetur unus. Nolite mirari, si talem proferam ab ore sententiam. Dixit quidam, in cujus ore Spiritus Dei erat: (1) Si contingat, ut unus de Sacerdotibus in Cœlum ascendat, lætabundi Angeli adinvicem colloquuntur dicentes: gaudeamus, & exultemus, quoniam post tot annorum curricula de Sacerdotibus solus iste Cœlum intravit. Difficile quidem est Sacerdotem, qui in conspectu hominum optimus esse videtur, Cœlum intrare; quanto difficilius eos, qui immemores mandatorum Dei ad faciendum ea, sobrié, justé, & pié nescierunt vivere? Sed quis est iste optimus, & laudabimus eum? Prophæta respondit: *Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Qui optimus est in eis, quasi palicurus: & qui rectus, quasi spina de sepe.*

O Domine, multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam! (2) Multi Sacerdotes, sed pauci Sacerdotes. Multi in nomine, sed pauci in opere. Multæ revera sunt, & pessimæ abominationes, quas faciunt Sæculares. Sed adhuc conversi videmus abominationes majores his in Atrio domus Domini interius. (3) Videmus in ostio Templi Domini inter vestibulum, & altare viros dorsa habentes contra Templum Domini, & facies ad

 Orien-

(1) S. Vincent. Ferrerius in serm. de omnibus Sanctis.

(2) Joan. Chris.

(3) Ezech. c. 8. t. 16. & seq.

Orientem, & adorantes ad ortum Solis. Numquid leve eſt hoc, ut Sacerdotes faciant abominationes iſtas, quia replentes terram iniquitate converſi ſunt ad irritandum Dominum? Et ecce applicant ramum ad nares ſuas. Ergo & ego faciam in furore; ait Dominus: non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cum clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos. (1) Secundum multitudinem eorum ſic peccaverunt mihi. Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Diſcedite a me omnes, qui in circuitu meo pollutis manibus offertis munera. (2) Non eſt voluntas mihi in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. (3) Audite, qui domos quadro lapide ædificatis: qui dormitis in lectis eburneis: et laſcivitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem pſalterii bibentes vinum in phyalis, gaudentes ad ſonitum Organi, audite: ambulaſtis ſecundum deſideria cordis veſtri, & nihil vobis accidit triſte. Sed juxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. Non tardat dies meus, in quo excitabor tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus a vino, & quaſi parturiens loquar in ira mea, & conturbabo vos in furore meo. Agite nunc dies veſtros in inani cordis veſtri lætitia. Diſtendatur ſecundum carnem voluptas in complacentia: qui in ſordibus eſt, ſordeſcat

ſcat

(1) Oſeæ c. 4.
(2) Malach. c. 1.
(3) Amos c. 6.

ſcat adhuc: gloriamini in pompa: coronate vos roſis, & non ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria veſtra: quia prope eſt dies, ut ſuccidatur ficulnea: & lignum in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

O Pater Sancte, cujus voluntas benignitate ſua privari non poteſt, habes ante pedes tuos confitentes reos. Ne declines in ira a ſervis tuis. Provocavimus te ad iracundiam irritum facientes pactum ob elati cordis noſtri ſuperbiam. Sed tu, Domine, attende de Cœlo, & vide de habitaculo ſancto tuo, quia ſumus fragiles, infirmi, & lutea vaſa portantes. Confitemur humiles ante Solium gloriæ tuæ contra te Patrem noſtrum impié recalcitraſſe, inſipienter egiſſe: idcirco abſcondis faciem tuam a nobis, & allidis nos in manu iniquitatis noſtræ. Et nunc Domine Pater, opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris, Domine, ſatis, & ne ultra memineris iniquitatis noſtræ. Sed effunde ſuper nos deſuper miſericordiam, & largire gratiam, ut Sacerdotes tui induantur juſtitiam. Ecce cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Convertere, Domine, ſuper ſervos tuos, tribus hæreditatis tuæ; & ne ſcribas ſtylo ferreo peccata noſtra, ſed munda, ſana, lava, & exaltare parcens nobis in miſerationibus tuis multis, ut tibi cum Sanctis tuis glorioſé cantemus per infinita ſæcula. Amen.

Finis I. Part.